Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Balthasar Mentzer

Balthasaris Mentzeri, S S. Theol. D. & in Acad. Marp. Professoris Declaratio Quatuor locorum Theologicorum : I. De Persona Et Officio Christi. II. De Baptismo. III. De Sacra Domini Coena. IV. De Praedestinatione

Sufficienter & perspicue conscriptia, Marpurgi: Chemlinus, 1627

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777865661

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777865661/phys_0001
DFG

Eb. 208 m

I. g - 3898.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777865661/phys_0002
DFG

31 c. 9

BALTHASARIS MENTZERI,
SS. Theol. D. & in Acad. Marp.
Professoris

DECLARATIO

Quatuor locorum Theologicorum;

I. De Persona et Officio Christi.
II. De Baptismo.
III. De Sacra Domini Coena.
IV. De Prædestinatione.

Sufficienter & perspicuè conscripta.

Marpurgi,
Excudebat Casparus Chemlinus
M. DC XXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777865661/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777865661/phys_0006
DFG

ILLUSTRI ET GENEROSO COMITI ET DOMINO,

DN. PHILIPPO COMITI IN SOLMS, DOMINO IN MYNTZENBERG, Willenfels, & Sonnevvald, &c. Cæsareæ Majestatis præfecto militari,

Domino meo clementi S. P. P.

NON una vice amicitiam ac fraternitatem nostram postulavit Zvvinglii & Calvini suboles, Illustris & Generose Comes,

Domine clementissime. Iniquum mehercule postulatum, & fundamento cui amicitiæ illius (puta spiritualis & mysticæ: de ista enim sermo noster) ædificium superstructum est, è diametro contrarium:

Fundamentum est consensus in doctrina, & principalibus Fidei articulis; & is quidem non superficialis, sed perfectissimus, sed accuratissimus. Est, Deum bonum, qualis inter nos γνησίως Lutheranos & Calvinisequas doctrinæ conformitas? qualis in fide consensus & con-

cen-

centus? Exiguus, imò ferè nullus. Id quod ad oculum, institutam inter nostram & illorum doctrinam collatione, quantum ad articulos principales demonstrare vellem, nisi illud ab aliis abundè satis antehâc fuerit præstitum.

Qui consensum nostrum cum Calvinianis in Cardinalibus istis religionis articulis DE PERSONA CHRISTI, DE BAPTISMO, COENA DOMINICA ET PRÆDESTINATIONE scire desiderat legat ac di-

ligenter expendat Collationem doctrinæ Zvvinglianæ cum Augustana Confessione, & disputationem de Prædestinatione tom. 1. disputat. Gieß. disput. 9. 10. 14. & 15. Et reapse ex illis deprehendet talem utrobique consensum, qualis est inter Christum & Belial, talem conformitatem, qualis est inter lucem & tenebras; talem harmoniam, qualis in Musicis est inter sol & la: ut proinde nostrates bona conscientia cum Calvinianis sanctam inire concordiam, eisq; fraternitatis porrige-

rigere dextram antehac neque potuerint, neq; debuerint.

Etenim,

Una fides quos non tenet, & non glutinat una,
Relligio, hos fratres dicere relligio est.

Cæterùm locos istos QUATUOR, quos modò enumeravi, & de quibus tam bellè inter nos & Calvinianos convenit, ante biennium breviter, perspicuè tamen ac nervosè ex sacrarum scripturarum fundamentis exposuit, publicéq; proposuit Reverendus & Clarissimus Theologus, Dn. BALTHASAR

SAR MENTZERVS, Professor Christianarum literarum eximius, Præceptor & Mecœnas meus omni observantiæ cultu ætatem honorandus (quem Tu, ô die Sospitator, magno Ecclesiæ & Reipublicæ literariæ BONO diu salvum & incolumem præstes.) Et quandoquidem multi fuerunt, qui LOCO Sistos socco Latino indutos in publico lucis theatro spectare enixè voluerunt; iccircò ex consensu Authoris, qui sicut in rebus aliis; ita & in hac ipsis gratificari voluit, à Typographo

grapho mihi persuaderi passus sum, ut ego, licèt tenuitatis meæ probè mihi conscius, istos adornare, & latinitate donare ausus fuerim. Quod & nunc divina adjutus gratia feci, & quidem simplici stylo, tali nimirum, qualem materia talis deposcit, memor illius Hieronymiani: De rebus sacris tractanti pedestris oratio necessaria est, non quæ verborum compositione frondescat.

Dedi autem inprimis operam, ut illa ipsa verba formalia, quæ de iisdem materiis in di-

versis Dn. MENTZERI tractatibus Latinis extant, quantum quidem fieri potuit, adhibuerim ac retinuerim.

Hunc autem qualemcunq; meum laborem Illustris Tuæ Generositatis, Illustris & Generose Comes, augusto nomini humiliter dicatum & consecratum volui: ideò, quoniam scio quod & mecum scit totus orbis Europæus

-----per quem tua dicta fama est.

quanto zelo, quanto amore ac fervore T. G. erga veram istam & hynceram, atque à Megalandro

landro Luthero restauratam religionem (cujus symbolum est Augustana Confessio, prima illa & invariata, sicuti Anno 1530. Invictissimo Imperatori (AROLO V. exhibita est) inflammata ardeat, ut istam in Ecclesiis & in Scholis cum æterna, nominis sui fama & laude immortali propagare, & per istius propagationem Christo portas aperire satagat: quàm item severo odio illos persequatur, qui amore Zvvinglium & Calvinum prosequuntur,

tur, & istorum castra atq; vexilla sequuntur.

Accipe igitur hoc quicquid est, Comes Generosiss. & vultu sereno ac defæcato intuere, mihíque clementiæ & faventiæ tuæ auram adspira. Deum Opt Max. ex penitissimo pectoris mei abscessu rogo & invoco, ut opus illud, quod in generosissimo tuo pectore cœpit, confirmet, T. G in vero veræ religionis amore, & dogmatis Calviniani odio conservet, atq; adeò omnes ipsius conatus ac cœpta dirigat ad æternam gloriam.

Eccle-

Ecclesiæ salutem, & Reipublicæ emolumentum. GIESSÆ, ex meo asceterio ipsis Calendis Sextilis: Anno quem enumerat gnome; Christi regnVM aDVenIat.

I. T. G.

Humiliter colens

M. Joh. Philippus Ebelius
Giessensis.

DE PERSONA ET OFFICIO CHRISTI

In quo consistit Christianorum salus?

IN Christo Jesu mundi servatore, in Evangelio nobis revelato. Hæc enim est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum *Iohan. 17. v. 3. Actor. 4. vers. 12. cap. 10. v. 43.*

Quis est Iesus Christus?

Est æternus proprius & unigenitus Dei patris filius, in temporis plenitudine verus homo ex Mariâ virgine natus, unicus humani generis redemptor.

Cur appellatur Jesus?

Ideò quia populum suum salvum facit ab omnibus peccatis *Matth. 1. v. 21.* JESUS enim vox Hebræa est, notans Salvatorem & hospitatorem. Cujus typum in Veteri Testamento

gesserunt Josua (sive Jesus: eadem enim nominis utriusque ratio) qui populum Israeliticum in terram Canaan introduxit, *Iosua 1. & seqq.* Et Josua sacerdos ille magnus, qui post captivitatem Babylonicam populo Judaico præfuit. *Hagg. 1. & seqq. Zach. 3.*

Cur vocatur Christus?

Christus est nomen Græcum, idem quod Hebræum Masias, quod unctum sonat. Quemadmodum enim reges & sacerdotes, & quandoque etiam Prophetæ in V. T. oleo ungebantur in officii sui inauguratione: *Exod. 29. v. 7. 1. Sam. 16. v. 13.* Ita & Christus, cujus typi isti fuerunt, unctus est oleo lætitiæ *Psalm. 45. v. 8.* Spiritu Sancto præter mensuram *Iohan. 3. v. 34.*

Secundum quam naturam Christus unctus est?

Secundum naturam divinam unctione nulla opus habuit. Unctus autem est secundum humanitatem Spiritu Sancto & virtute, *Act. 10. v. 38.* ut officio suo efficaciter fungi, & omnes à Diabolo oppressos sanare posset: *Daniel. 9. v. 24.*

Sed & ante incarnationem ὁ λόγος & Christus vocatur, 1. Cor. 10. v. 9. quapropter secundum divinitatem is hoc nomine appellandus erit?

Je-

Jesus Christus est heri & hodie, ipse & in secula *Heb. 13. v. 8.* Non enim duæ distinctæ sunt personæ, quarum altera filius Dei, altera Christus nominetur, sed est una persona θεάνθρωπος Jesus Christus. Ac proinde quædam de hac persona enunciantur secundùm divinitatem solùm, quædam secundùm humanitatem, quædam secundùm utramque naturam. Quando igitur Paulus scribit. 1. Cor. 10. v. 9. de Judæis, quod Christum tentaverint in deserto, quod diu ante incarnationem τῦ λόγυ factum est, id ipsum de hac personâ, quæ Christus est & vocatur, secundùm divinitatem intelligendum est. Eodem planè modò, quo Christus ipse dicit *Ioh. 8. v. 58.* Antequam Abraham erat, ego sum.

Quomodo vera Christi Deitas demonstratur?

Christum esse verum Deum, unius essentiæ. virtutis & majestatis cum Deo patre & Spiritu Sancto, exinde manifestum est.

I. Quia in Scripturis expressè & absolutè vocatur Jehovah & Deus, *Psal. 45. v. 8. Heb. 1. v. 8.* Esai. 9. v. 6. Ioh. 3. v. 16. c. 1. v. 1. 4.* Esa. 35. v. 4. 5. c. 43. v. 11. 12. Matth. 11. v. 28. c. 15. v. 30. cap. 4. v. 23.* Esai. 40. v. 3. Matth. 3. v. 3. Luc. 3. v. 4. Ioh. 1. v. 23.* Esa. 45. vers. 15. 21. 22. 23. 24. Rom. 14. v. 11. Phil. 2. v. 10.* Esai. 45. v. 17. 24.*

25. Osea 1. v. 7. Zach. 2. v. 5. 10. Matth. 1. v. 21. Act. 4. v. 12. * Esai. 6. v. 1. 9. 10. Ioh. 12. v. 39. 40. 41. * Num. 14. v. 1. 11. 22. 29. c. 21. v. 5. 1. Cor. 10. v. 9. * Hierem. 25. v. 5. 1. Cor. 1. v. 30. Ioh. 20. v. 28. Rom. 9. v. 5. 1. Ioh. 5. v. 20. &c.

II. Quia insignitur attributis & epithetis omnibus soli vero Deo propriis, ut quod est æternus. Prov. 8. v. 23. Ioh. 1. v. 1. 1. Ioh. 1. vers. 2. Mich. 5. v. 2. Ioh. 8. v. 58. Apoc. 1. v. 17. Esa. 9. v. 6. Heb. 9. v. 14. vita æterna, & sapientia æterna patris Ioh. 14. v. 6. 1. Ioh. 5. v. 20. Prov. 18. v. 12. 1. Cor. 1. v. 30. æternus Deus qui creavit omnia. Esai. 40. v. 28. Ioh. 1. v. 3. Hebr. 1. v. 2. Coloss. 1. v. 17. Immutabilis tàm in sua natura sive essentia quàm dictis & factis. Heb. 1. v. 11. & 12. Ps. 102. 26. Heb. 13 v. 8. Matth. 28. v. 35. Omnipræsens Ioh. 1. v. 18. c. 3. v. 13. c. 14. v. 23. Matth. 18. v. 20. c. 28. v. 20. Apoc. 1. v. 13. Omnipotens. Matth. 11. v. 27. c. 28. v. 18. Ioh. 3 v. 35. c. 16. v. 15. Philip. 3. v. 21. Apoc. 1. v. 8. Ioh. 1. v. 18. 19. omniscius & omnisapiens Ioh. 2. v. 25. c. 16. v. 30. cap. 21. v. 17. c. 10. v. 15. Apoc. 2. v. 23. Coloss. 2. v. 3. Altissimus & supra omnia Luc. 1. v. 76. Psal 97. v. 7. Hebr. 1. vers. 6. Rom. 9. v. 5. Bonus, misericors, verax, justus, castus. &c. teste universâ scriptura. Vide etiam Ioh. 16. v. 15. c. 17. v. 10. 1. Cor. 2. v. 8. Apoc. 17. v. 14. c. 19. v. 16.

III. Quia ipsi adsignantur opera merè divina

vina, quæ virtute propriâ ad suam gloriam efficit *Ioh. 5. v 19.*

Quæ in quatuor has classes distingui possunt. I. Est creatio & conservatio rerum omnium. II. Effectio miraculorum. III. prædictio futurorum IV. Collectio & gubernatio Ecclesiæ. Quæ opera omnia & singula Christo in scripturis attribuuntur. I. De opere creationis vide *Gen. 1. 2. Ioh. 1. Col. 1. Heb. 1. Psal. 33. Prov. 8.* Miracula Christi multa, passim à Prophetis prædicta eorundemque perpetratio ab Evangelistis diligenter conscripta est, ut quod non tantum Christus ipse vera ac divina miracula ediderit, sed etiam facultatem ea edendi discipulis suis concesserit, ad veritatem Evangelii magis magisque confirmandam: qui etiam miracula ediruti Christi nomen invocarunt, atque ad ipsius honorem & gloriam ea direxerunt. *Matth. 10. v. 1. Act. 3. v. 6. 16. Ioh. 2. v. 11. &c.*

3. Christum futura prædixisse virtute propria, ex infinita suâ sapientia ac scientia probatur *Matth. 24. Ioh. 2. v. 18. 29. Luc. 22. v. 24. Iohan. 14. v. 29 c. 2. v. ult. Apoc. 2. v. 23.* Quin etiam Prophetis vaticinia sua dictavit Spiritus Christi *1. Pet. 1. v. 11.*

4. Quod attinet opera divina in Ecclesia, ea multa sunt & varia, ut Electio ad salutem, re-

demptio generis humani, vocatio ad ministerium, institutio Sacramentorum, illuminatio, regeneratio, vivificatio, justificatio, piorum defensio, precum exauditio, Consolatio, confirmatio, glorificatio: quæ omnia Christo in scripturis tribuuntur. In Christo enim electi sumus *Eph. 1.* qui nos dilexit *Gal. 2. v. 10. Eph. 5. v. 26.* qui mittit Evangelistas, Apostolos & Doctores, *Eph. 4. v. 11. Matth. 10. v. 5. cap. 23. v. 34. Ioh. 20. v. 21.* & per eos nos vocat *Matt. 28. Marc. 16.* Instituit etiam Sacramenta, Baptismum & Cœnam Dominicam, *Matth. 28. & 26 Marc. 16. & 14. Luc. 24. 1. Cor. 11.* Illuminat nos. *Matth. 11. v. 27. Luc. 24. v. 45.* regenerat nos per verbum suum & Baptismum, vivificat, peccata remittit, justificat *Ioh. 3. 5. 6. 11. Act. 3. 4. 10. 15. Rom. 3. 4. 8. 1. Cor. 1. 6.* & alibi passim. Defendit pios *Matth. 28. v. ult. Ioh. 20. vers. 27. Act. 23. v. 11. 2. Tim. 4. v. 17.* Exaudit prêces piorum. *Ioh. 14. v. 13. cap. 16. v. 23. 2. Cor. 12. vers. 8. Act. 7. v. 59* Et eos glorificat. *Ioh. 5. v. 21. c. 6. v. 44. c. 10. v. 26. Phil. 3. v. 20. 21.*

4. Jesus Christus est verus, proprius unigenitus, æternus æterni Patris filius, in cujus sinu, & è cujus essentia ab æterno genitus est. Unde & passim apud Evangelistas & Apostolos *Filius Dei* appellatur. Et ut inter ipsum & alios, qui per gratiã adoptionis filii Dei sunt, discrimen firmum ac solidum maneat, *filius Dei proprius*

prius vocatur *Rom. 8. v. 32.* & unigenitus à patre *Ioh. 1. v. 18. c. 3. v. 16. 18. Rom. 1. 3. 4. Ioh. 4. 9.* Quòd a. sit æternus Dei filius, concluditur ex *Ps. 2. v. 7.* & *Heb. 1. v. 5.* Id quod per gloriosissimam resurrectionē suā à mortuis declaravit. Propria n. virtute resurgere nulla creatura valet. Ita Christus Es. 9. v. 6. vocatur pater æternitatis, cujus egressus est ab initio. *Mich. 5. v. 2. Prov. 8. v. 23. Ioh. 1. v. 1. c. 8. v. 58. Heb. 9. v. 14. 1. Ioh. 1. v. 1. Apoc. 1. v. 8. 17. c. 2. v. 8. c. 22. v. 13. Heb 13. v. 8.* Quò etiā referuntur dicta, quib. Christ⁹ dicitur primogenitus ante omnes creaturas *Col. 1. v. 15. Heb. 1. v. 6.* & est vita æterna. *1. Ioh. 5. vers. 20.*

5. Christus in Scripturis vocatur substātialis imago patris *Col. 1. v. 15. Heb. 1. v. 3. 2. Cor. 4. v. 4.* Unde qui Christū videt, videt & patrē *Ioh. 14. v. 9.* & quæ pater operatur, similiter (ὁμοίως) & filius operatur. Ipse enim & pater unum sunt *Ioh. 10. v. 30.* non voluntate solùm, sed natura quoque & essentia.

6. Et Christus cū patre cōmunem habet unū Spiritū Sanctū, à se ab ętetno ineffabiliter procedentē *Ioh. 15. v. 26.* Unde Sp. S. dicitur Spiritus ex Deo *1. Cor. 2. v. 12.* Spiritus quem dat Pater. *Ioh. 14. v. 16.* quem filius mittit à patre *Iohan. 15. v. 26.* Spiritus Christi. *Roman. 8. v. 9.* qui accipit sua à Christo, *Ioh. 16. v. 14.* Spiritus Elohim, *Gen. 1. v. 2.* Spiritus Christi & labiorū

ejus, & oris ejus, *Esa 11. v. 4. 2. Thess. 2. v. 8.* quo ungit & obsignat fideles *Ioh. 15. v. 26. cap. 16. v. 7. c. 20. v. 22. 2. Cor. 1. v. 21. Eph. 1. v. 13. 14. cap: 4. vers. 30.*

7. Christus cum Patre & Spiritu Sancto est unius & indivisæ essentiæ, nempe secundum Deitatē *Ioh. 10. v. 30. 1. Ioh. 5. v. 7.* Et hinc fit, ut omnia attributa & proprietates divinæ ex æquo, Deo Patri, Filio & Spiritui Sancto attribuantur, juxta Symbolum Athanasianum: Pater est omnipotēs, filius est omnipotēs Spiritus S. est omnipotens, neq; tamen tres sunt omnipotentes, sed unus est omnipotens &c.

8. Christus eo religionis cultu afficitur, qui soli vero & æterno Deo debetur: In Scripturis enim Christum timere jubemur. *1. Cor. 10. v. 9. 22.* & in eum credere *Iohan. 14. v. 1.* & spectare in eum *1. Tim. 1. v. 1. Rom. 15. v. 2.* eumque adorare, *Psal. 2. v. 12. Rom. 14. 11. Heb. 1. vers. 6. Phil. 2. v. 9. Apoc. 5. v. 13.* in nomen ejus, (sicut & patris & S. Sancti.) baptizamur, *Matt. 28. v. 19. Act. 10. v. 48. c. 19. v. 5.* per nomen ipsius jurat Paulus *Rom. 9. v. 1.* eiq; gratias agere in omnibus Christiani debent. *1. Tim. 1. v. 12. Apoc. 5. v. 13. Rom. 9. v. 5.*

8, Denique Christus est fundamentum salutis nostræ sine quo & extra quem salvari nemo potest *Act. 4. v. 12. c. 10. v. 43. c. 15. v. 11. Esa. 45. v. 22.* & *alibi* passim.

Ex

Ex quibus omnibus Christum Jesum verum æternumque Deum esse luce meridianâ clarius apparet.

Quomodo verò natura humana veritas in Christo demonstratur?

Quòd Christus Jesus non tantùm verus Deus, sed etiam verus homo sit, integramque & perfectam naturam humanam, animam rationalem, corpus humanum, cum omnibus membris & proprietatibus naturalibus (excepto tamen peccato) habeat, inde patet.

I. Quia in scripturis disertè & propriè appellatur homo. *Luc. 23. v. 47. 1. Tim. 2. v. 5.* Caro *Ioh. 1. v. 14.* Filius hominis. *Dan. 17. v. 13. Matt. 8. v, 20. c. 16. v. 13. Act. 7. v. 56. Heb. 2. v. 6. ex Ps. 8. v. 5. Apoc. 1. v. 13.* Semen mulieris, *Gen. 3. v. 15.* Semen Abrahæ. *Heb. 2. v. 16.* filius Abrahæ *Matth. 1. v. 1.* filius & fructus ventris Davidis. *2. Sam. 7. v. 12. Psal. 89. v. 36 37. Psal. 132. v. 11. Matth. 1. v. 1. Luc. 20. v. 41. Act. 13. v. 23. Rom. 1. v. 3. 2. Tim. 2. v. 8.* Leo de tribu Juda, radix David *Apoc. 5. v. 5.* Radix & genus David. *Apoc. 22. v. 16.* Ex patribus secundùm carnem, *Rom. 9. v. 5.* filius Virginis Mariæ, & ex eâ genitus *Esa. 7. v. 14. Matth. 1. v. 16. 20. 21. 23. 25. c. 2. v. 11. 20. 21. c. 12. v. 46. Luc. 1. v. 31. c. 2. v. 48. c. 8. v. 20. Ioh. 2. v. 3. c. 19. v. 25. Act. 1. v. 14. Gal. 4 v. 4.*

2. Vera & adæquata definitio totius & in omnibus partibus essentialibus perfecti hominis, verè & propriè Christo, tribuitur, ut jam probabitur.

3 Nam quòd animam rationalem habeat, demonstratur, *Matth. 20. v. 28. c. 26. v. 38. c. 27. v. 50. Luc. 23. v. 46. Ioh. 10. v. 15. 17. 18. c. 12. v. 27. Act. 2. v. 27. 1. Ioh. 3. v. 16.* Hinc in Christo est scientia, intelligentia, sapientia, voluntas. *Esa. 7. v. 25. c. 9. v. 6. c. 11. v. 2. Luc. 2. v. ult. Ioh. 13. v. 18 cap. 5. vers. 21.* ita ut alias doceat, & revelet mysterium Evangelii *Iohan. 1. vers. 18. Matth. 3. 6. 7. &c.*

Verum quoque & essentiale corpus habet, *Matth. 26. v. 26. c. 27. v. 58. Marc. 14. v. 8. 22. c. 15. v. 43. Luc. 22. v. 19. c. 23. v. 52. c. 24. v. 3. 23. Ioh. 2 v. 21. c. 19. v. 38. c. 20. v. 12. 1. Cor. 11. v. 24. Coloss. 1. v. 22. 1. Pet. 2. v. 24.* Veram carnem *Luc. 24. v. 39. Iohan. 6. v. 51. Rom. 1. v. 3. c. 9. v. 5. Col. 1. v. 22. 1. Pet. 4. v. 1.* & ossa. *Luc. 24. v. 39. Iohan. 19. v. 33. 36. Ephes. 5. v. 30.* & sanguinem *Matth. 26. v. 28, Ioh. 6. v. 54. c. 19. v. 34. Act. 1. 19. c. 20. v. 28. Rom. 3. v. 25. c. 5. v. 9. 1. Ioh. 1. v. 7. Heb. 2. v. 14. c. 9. v. 12 14. c. 10. v. 19. 29. &c.* Sic meminit Scriptura manuum Christi, pedum, oculorum, oris, linguæ &c. *Apoc. 1. v. 14. 15. 16.*

4. Præterea Christo tribuuntur propria hominis πάθη & affectiones (sine tamen peccato) tùm

tùm quæ toti homini h.e.cõpositõ, tùm quæ singulis partib. h.e.animæ & corpori distinctè conveniunt. Ita profecit sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines. *Luc. 2. v. ult.* anima ejus contristata fuit usque ad mortem *Matth. 26. v. 38. Luc. 19. v. 41.* Sitivit, esurivit, defatigatus est, ambulavit visibiliter & verè de loco in locum. Summa. Quæcunque de vera anima humana, & de vero corpore humano & de toto homine per se & essentialiter prædicantur, de Christo verè dici & prædicari possunt (excepto semper peccato.) Et quod attinet infirmitates humanas, spõte illas Christus adsumpsit in statu exinanitionis, ut pati & moti posset nunc a. in statu gloriæ depositi. Est igitur & manet Christus nobis secundũ carnem cõsubstãtialis: Unde discipulos suos vocat fratres *Ioh. 20. v. 17. Hebr. 2. v. 12. ex Ps. 22. v. 23.* 5. Scriptura Christo tribuit operationes & effecta humana, tum in anima, tùm in corpore tùm in toto composito. Nam in statu exinanitionis intelligit, vult, eligit, loquitur, docet, edit, bibit, abit, adit, fatigatur, quiescit, patitur, moritur. In statu gloriæ actu etiam intelligit, vult, & interpellat pro nobis apud patrem cœlestem *1. Ioh. 2. v. 1.* rediturus visibiliter ad judicium in nubibus cœli &c.

Firmâ igitur stat conclusio?

Jesus Christus est verus & perfectus homo.

Qui-

Quique hanc conclusionem negant & oppugnant, Christum fratrem suum verè nominare, inque illo fiduciam suam ponere non possunt.

Nemo suum verè fratrem quit dicere Christum
Hunc ipsum verè qui negat esse hominem.

Quod si Christus est & Deus & homo, non una profectò erit persona sed duæ?

Nestorianum est in Christo duas fingere personas. Una enim tantùm est persona, in qua duæ naturæ divina nimirum & humana personaliter unitæ sunt. Et quemadmodum anima & corpus naturaliter unitæ unus sunt homo, non duo: ita Deus & homo Christus Jesus, non duæ, sed una est persona.

Quid igitur est unio personalis?

Unio personalis arctissima est conjunctio, qua æternus Dei filius naturam humanam veram & integram adsumpsit, quæ in ipso suam subsistentiam habeat ita ut Deus & homo sit una, eaque indissolubilis persona.

Annon igitur & humana natura in Christo est persona?

Non est: Subsistit enim non in propria sua humana

mana subsistentia, quomodo alias homo quilibet suam habet peculiarem subsistentiam, sed subsistit in persona infinita τῦ λόγυ. Neque hoc perfectionem ipsius imminuit, sed auget potius & illustrat. Non enim est ἀνυπόστατος (alias subsistere non posset) sed est ἐνυπόστατος & subsistit in persona divina τῦ λόγυ ut ita persona τοῦ λόγυ per incarnationem facta sit persona naturæ humanæ, quomodo ab æterno fuit persona naturæ divinæ. Et sic duæ hæ naturæ subsistunt simul in una hac persona.

Quomodo verò natura humana finita subsistere potest in persona infinita? Vbi nulla plane est proportio?

Juxta ordinariũ naturæ cursũ simpliciter impossibile est finitũ & infinitũ unã constituere personam. Quare hoc est illud ὁμολογυμένως magnum pietatis mysterium, quòd Deus manifestatus est in carne. *1. Tim. 3. v. 16.* & quòd λόγος æternus hoc est filius Dei, Caro h. e. verus homo, factus est *Ioh. 1. 4. v. 14.* & Semen Abrahæ assumpsit. *Hebr. 2. v. 16.* Fides hîc igitur dominabitur & Verbum Dei, non ratio cum suis principiis & speculationibus.

Verùm nihilominus erit, carnem finitam ac loco circumscriptam, divinitatem verò infinitam esse, ut ita divinitas illo ipso in loco, in quo localiter est caro, isti personaliter unita, in aliis verò locis omnibus extra carnem præsens sit?

Hoc est divina mysteria rationis humanæ decempedâ metiri, quod admitti non debet. Ita a. in Scripturis Spiritus Sanctus loquitur: In Christo habitat tota plenitudo deitatis corporaliter *Coloss. 2. v. 9.* Infinita enim est & manet divina natura: humana verò in æternum κατ' ἐξίαν finita. Et nihilominus tamen ambæ hæ naturæ in persona τῦ λόγυ tam arctè conjunctæ & unitæ sunt, ut neutra extra alteram aut sine altera vel esse, vel cogitari ibi possit. Et removendæ hic sunt omnes de naturali spatio sive loco cogitationes. Siquidem nulla creatura neque in cœlo neque in terra esse potest, quæ cum filio Dei tam sit arctè conjuncta, quàm in propriam personam assumpta humanitas.

Sed ita ὁ λόγ& nullibi extra carnem, neq; caro extra λόγον esset?

Ita certè est. Quia tota plenitudo Deitatis in Christo habitat corporaliter, h.e. ut pii veteris Ecclesiæ Doctores ex fundamentis Scripturæ rectè exponunt, tanquam in proprio suo corpore, & proprio templo. Cùm enim ὁ λόγ& caro factus, in personæ suæ unitatem natu-

naturam humanam adsumpserit, simpliciter impossibile est λόγον ullibi esse extra Carnem (non enim sic dicere possem, quod tota plenitudo deitatis in ipso habitet) aut carnem ullibi esse extra suam personam. Sed post factam incarnationem, ubi quæro & invenio τὸν λόγον, ibi quæro etiam & invenio filium Mariæ, quia una est & indissolubilis persona Jesus Christus verus Deus & verus homo, teste universa scriptura.

An & ita docuerunt veteres in primitiva Ecclesiâ?

Omninò. Cujus rei clarissima extant testimonia apud B Athanasium orat. 2. contra Arianos p. 170. edit. Commelin. & orat. 4. p. 275. & Cyrill. ad Reginas de vera fide f. 129. edit. Basil. Anno. 28. & Epiphanio l. 2. tom. 2. contra Ariomanitas p. 149. edit. Basil. Ann. 78. & Nazianzeno ep. 1. ad Cledoniũ. Neq; ullum in hunc usque diem ex scripturis & veteribus Ecclesiæ Doctoribus clarum & perspicuum testimonium, quod causæ ipsorum patrocinetur, ab adversariis produci potuit.

Ergone Caro Christi deificata, aut in Deitatem conversa fuit, quia deitati ubiq; præsens est?

Quemadmodũ naturę essẽtialiter propriè in æternũ impmixtæ manẽt, quãtũvis psonaliter uni-

unitæ: ita non possum dicere, quod humanitas sit Deitas, aut deitas facta sit humanitas: sed perpetuo verũ est & manet, quod Deitas non sit humanitas, neque humanitas sit deitas. Nihilominus tamen, quia deitas & humanitas personaliter unitæ sunt, sequitur filium DEI verum esse hominem, & filium Mariæ, vel hominem Jesum Christum verum esse Deum. *Matth. 16. vers. 13. 16. Luc. 1. v. 35. Matth. 1. vers. 21. 23. Iohan. 1. vers. 14. Hieron. 23. v. 5. 6. 1. Cor. 15. v. 47.*

Anne igitur & humana Christi natura omnibus creaturis praesens est?

Hæc quæstio propriè huc non pertinet, infra 2. suo loco tractabitur, quando agemus de majestate & gloria Christo secundum carnem in plenitudine temporis communicata.

Nunc tantùm agimus de unione personali duarum in Christo naturarum sine respectu ad creaturas. Et sententia nostra est: quemadmodum in homine vivo anima non est extra corpus, neque corpus est sine anima. Ita & in Christo ὁ λόγος non est extra carnem, neque Caro extra λόγον quia Caro & λόγος in unam eamq; individibilẽ personam coaluerunt. Hinc ubi filius Dei est, ibi Caro est in ipso, & ubi

ubi Mariæ vel hominis filius est, ibi habitat tota plenitudo Deitatis in ipso, neque ullibi ὁ λόγος est extra Carnem, neque Caro extra τὸν λόγον. Alias dissolveretur unio personalis.

Quando igitur Deus vocatur homo, & filius hominis vocatur filius Dei, an intelligendum id est secundum divinam, an secundum humanam naturam?

Pia est hîc adhibenda diligentia, ut tales locutiones rectè intelligantur, & nos ab adversariorum πολυτρόποις locutionibus, non seducamur. Cùm dicitur, *Deus est homo:* Intelligendum id est pro modo & ratione unionis personalis, quia Filius Dei in unitatem Personæ carnem adsumpsit, unde est & vocatur vetus homo, & vicissim: Quia humana Christi natura in se & per se non habet propriam ὑπόστασιν & subsistentiam (quod Nestorianum.) sed adsumpta est, & subsistit in persona filii, inde & ideò est & vocatur filius hominis, filius Dei vivi, *Matt. 16. v. 13. 16.*

Non igitur rectè dicitur, Deus est homo secundum humanitatem, & homo est Deus secundum deitatem?

Hîc iterum cautè ac circumspectè nobis agendum est, ne acutè confictis adversariorum locutionibus extra liram veritatis seducamur: Cùm dicitur: Christus est Deus secundùm

Deitatem: & homo, secundùm humanitatem: explicari rectè potest, quòd nimirum in una Christi personâ ambæ illæ naturæ divina & humana personaliter sint unitæ: Et hinc Christus verus Deus & verus homo est, & appellatur. Verùm cùm dicitur, Deus est homo: propositio illa est personalis qua unio personalis duarum in Christo naturarum describitur, ac proinde personaliter, hoc est, pro modo & ratione unionis personalis resolvenda est ita: Deus est homo ideò, quia Filius Dei humanitatem in personæ suæ unitatem assumpsit: Sic: Filius hominis est filius Dei ἐνωτικῶς, quia humana natura assumpta est, & subsistit in persona τῦ λόγυ. Ex quibus manifestum est, quòd hermenia illa rei non sit harmonica, quando dicitur, Deus est homo, secundum humanitatem: & Homo est Deus, secundùm Deitatem:

Sed cur falsa illa?

Breviter hoc demonstrabo, sed firmiter. Qui DEUS est secundùm deitatem ille DEUS est essentialiter, & qui homo est, secundùm humanitatem, ille homo est essentialiter.

At Filius DEI non est homo essentialiter, sed personaliter. Et Filius hominis est filius Dei,

DEI non essentialiter, aut κατ' ἐνέργειαν, sed personaliter, nempe propter unionem personalem. Falsum igitur est, quando dicitur Deum esse hominem, secundum humanitatem, & hominem esse DEUM, secundum Deitatem.

Anne & Pater & Spiritus Sanctus est homo?

Non: Solus enim æternus Dei filius (non etiam pater & Spiritus Sanctus) in unitatem personæ humanam naturam adsumpsit. Hinc cùm de Christo agitur, & Deitas sive divina natura nominatur, intelligitur Deitas Filii, hoc est, divina natura, non ut communis est tribus personis, sed ut est & subsistit in secunda persona Trinitatis, nempe in Filio. Fallitur igitur & fallit, qui Deum patrem pro nobis passum & mortuum esse asserere velit.

Hactenus satis dictum de personali unitione duarum naturarum, divinæ filii DEI, & humanæ in CHRISTO: nunc porro, quid ex tali unione oriatur, exponas velim?

Ex unione psonali oritur cõmunicatio Idiomatũ, quæ, ppriè & accuratè judicãda & explicã

da est secundum ipsam unionem personalem: aliâs facilimè in errorem quis introduci potest.

Quid est communicatio Idiomatum?

Est participatio propriorum utriusque naturæ facta in personâ Christi propter personalem unionem.

Estne unus tantum modus communicationis Idiomatum?

Vulgò tria genera communicationis Idiomatum numerantur: quorum cognitio utilis est & necessaria, ad dicta Scripturæ, de hoc mysterio agentia, rectè ac fundamentaliter explananda & intelligenda. I. enim Christo in scripturis attribuuntur proprietates naturales & operationes singularum naturarum, divinæ & humanæ. II. Dicta reperiuntur, quibus divina majestas & gloria Christo secundùm humanitatem adscribitur. III. Multa sunt testimonia, in quibus ἀποτελέσματα sive effecta utriusque naturæ describuntur.

Vt ordine procedamus, describe mihi primum genus communicationis Idiomatum?

Primum genus communicationis Idiomatum, quod aliâs communicatio Idiomatum κατ' ἐξοχὴν vocatur, est, quando propria naturatum

rarum communicantur toti personæ in concreto. Ubi interdum expresè additur, secundū quam naturâ aliquid de Christo enuncietur, Ut Christus passus est carne *1. Petr. 3. v. 18. c. 4. v. 1.* Filius Dei natus est ex semine David, secundum Carnem *Rom. 1. v. 3.* Christus est ex patribus, secundum carnem qui est Deus super omnia. *Rom. 9. v. 5.*

Nunquid hîc locutionum aliqua est diversitas, dum Christus nominatur vel Filius Dei, vel filius hominis?

Rem ipsam quod attinet, certum est, istis nominibus totam personam θεάνθρωπον notari. Communicatio enim idiomatum ratione ordinis statim subsequitur unionem personalē, quam præcessisse oportuit: alias communicationi idiomatum locus non esset. Rectè igitur dicitur: Christus est mortuus: Filius Dei est mortuus: Filius hominis est mortuus. Ubi CHRISTUS notat personam θεάνθρωπον. Filius Dei notat Deum in carne manifest. tū. Deus enim per se in essentia sua divina mori non potest. Filius hominis notat hominem, sed qui unâ Deus est: Aliâs passio & mors ipsius nobis nihil prodesset, neque pro peccatis nostris satisfactum esset.

Propter quosdam tamen hæreticos, qui

propositas locutiones non eodem modo omnes intelligunt, utile illarum discrimen formari & constitui potest. Largiter enim largitur Nestorius Christum esse natum ex semine David, & pro nobis esse mortuum, Mariam verò θεοτόκον dicendam ac Deum pro nobis mortuum esse in solidum negat.

Noli, inquit, gloriari Judæe, non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Hæc hæresis ut eò clarius apertiusque refutari possit, nonnulli sic distinguunt, ut 1. utriusque naturæ proprietates adscribantur toti personę in cõcreto, inprimis quando tali nomine appellatur in quo utraque natura comprehensa est, ut Jesus, Christus, Salvator &c.

Deinde, ut Filius Dei sibi ipsi attribuat proprietates adsumptæ carnis ut: Filius Dei natus est ex semine Davidis *Rom. 1. v. 3.* Deus proprio suo sanguine acquisivit Ecclesiam *Act. 20. v. 28.* Verbum vitæ (quod est Dei filius) Apostoli viderunt & manibus contrectarunt *1. Joh. 1. v. 1.* Discrimen hoc cum addita declaratione commodè usurpari, & Nestorianis, istiusque farinæ aliis opponi potest. In cæteris res manet inconcussa. Qui enim fatetur Christum ex Maria natum pro nobis esse mortuũ: hunc fateri quoque oportet quod filius Dei ex Maria natus pro nobis sit mortuus, Ratio, quia Christus verus Deus est.

Fal-

Falsum igitur est, quando ex hodiernis nonnulli docent solam humanam naturam pro nobis passam esse & mortuam?

Nestorianismum istud olet, neque in Ecclesia ferendum est. Non enim nudus homo pro nobis mortuus est: nec passio & mors illa nobis prodesse quicquam posset. Contrà Scriptura dicit, quòd Christus ipse proprio suo sanguine Ecclesiam acquisiverit *Actor. 20. vers. 28.* Dux vitæ interfectus sit. *Actor. 3. v. 15.* Dominus gloriæ crucifixus sit, *1. Cor. 2. vers. 8.*

Quomodo verò Deus aut filius Dei pati ac mori potest, cùm Deitas sit immutabilis?

Immutabilis est Deus in essentia sua: ideoque Deus in divina sua essentia, sive Deitas in & per se pati & mori non potest: Verè autem Filius Dei mortuus est in assumpta sua humanitate, quæ ipsi propria est, quia in unitatem personæ ipsam adsumpsit. Quàm verè igitur dicitur, dũ homo capite, brachio vel corpore vulneratur, quod homo vulneratus sit: & quãdo anima à corpore discedit, quod homo mortuus sit: tam verè etiam dicitur, dum Christi

Caro patitur & moritur, quod ipse Filius Dei patiatur & moriatur, secundum suam illam propriam carnem; sicut in Symbolo Apostolico expressè, Filium Dei ex Maria natum, passum, mortuum & sepultum esse & ex mortuis resurrexisse confitemur. Ipsius igitur Dei propria est passio & mors illa, per quam nobis facta est ἀπολύτρωσις.

Quodnam est secundum genus communicationis Idiomatum?

Propriè vocatur communicatio majestatis qua Filius Dei divinam suam gloriam & majestatem communicat humanæ naturæ personaliter adsumptæ. Quò pertinent omnia illa dicta quæ testantur de divinis & infinitis donis Christo in tempore datis, & de exaltatione ejus ad dexteram Dei. Quia enim Filius Dei humanitatem adsumpsit in se vel in personam suam propriam, ut in ea personaliter subsistat, ideò revera etiam illi donavit & communicavit omnem gloriam divinam & majestatem, virtutem & potestatem super omnia, quæ in cœlo & in terra sunt.

Dilucidius hoc mihi explicari, & invictis Scripturæ fundamentis demonstrari velim?

Faciam hoc lubentissimè. Adverte igitur tres hasce quæstiones, & responsiones ad illas nota.

I. Quis

I. Quis sit, qui det sive conferat
II. Quis sit, qui accipiat
III. Quid sit, quod datur & accipitur.

Quis igitur dat sive communicat?

I. Verus & æternus Deus. Quo de Scriptura ita loquitur, ut interdum Pater, interdum Filius appelletur: nonnunquam absolutè ponatur Deus.

Unde autem illud est, quod Scriptura non uno eodemq; modo loquendi utatur?

Rectè loquitur Scriptura & verè. Quantumvis enim sola secunda persona filii sit incarnata: tota tamen SS. Trinitas in incarnatione Filii operata est. Pater enim mittit filium in mundum, & condit cum Filio & Sp. S. naturam humanam in virgine Maria, ungit Christum Spiritu Sancto præter mensuram, & tradit Pater proprium suum filium in mortem pro nobis, resuscitans ipsum ex mortuis. Id quod luculenta Scripturæ testimonia evidenter ostendunt *Ioh. 3. v. 16. Gal. 4. v. 4. Luc. 1. v. 31 35. Ioh. 3. v. 34. Rom. 8. v. 32. Eph. 1. v. 20.* Ac proinde rectè & verè dicitur, quòd Pater Filio omnem potestatē dederit, & ad dexteram suam exaltaverit *Matth. 11. v. 27. c. 28. v. 18. Iohan. 17. v. 2. Phil. 2. v. 9. Psal. 110. v. 1.*

Annon sequetur hinc, quòd Pater cum natura humana personaliter sit unitus, ideò quia humanitatem exaltavit?

Non sequitur. Etenim exaltatio illa fit solùm in persona τῷ λόγῳ non extra illam aut seperatim in natura humana per & secundum se. Verè igitur dicitur, quòd Deus pater in tẽpore omnia dederit filio; eumque exaltaverit super omnia, intellige secundùm adsumptam carnem.

An & hoc ex Scripturis liquidò demonstrari potest?

Potest, & quidem invictissimè. Observa autem primò, quod, quemadmodum Scriptura dicit Patrem in mortem tradidisse filiũ, eumque resuscitasse & exaltasse: ita pari modo de Christo ipso loquitur quod in mundum venerit *Ioh. 18. v. 3.* & semetipsum tradiderit pro nobis. *Gal. 2. v. 20. Ioh. 6. v. 51. c. 10. v. 18.* & propria virtute ex mortuis resurrexerit *Ioh. 10. v. 18. Rom. 1. v. 4. Matth. 20. v. 19.* & in altum conscenderit *Psal. 68. v. 19.* & consederit ad dextram Patris, *Eph. 1. v. 20.* & regnet donec ipse ponat omnes hostes suos sub pedibus suis. *1. Cor. 15. v. 25.*

Cur Scriptura talibus loquendi formulis utitur?

I. quia Pater & Filius unius sunt & indivisæ essen-

essentiæ; Et hinc, quæ pater operatur, ea & Filius operatur *Ioh. 5.v.19.*

Deinde, quia Deus pater filium misit in mundum, ideo totum opus redemptionis eò dirigitur, ut pater in filio & per filium honorificetur, *Ioh. 6.13.14.17.&c.*

An igitur & rectè dici potest quòd Deitas humanitatem exaltaverit?

Omnino: ita tamen, ut exaltatio illa unicè intelligatur in persona filii Dei in qua humanitas subsistit. Si enim cum illa personaliter unita non esset, ipsa in æternum ad majestatem & gloriam infinitam exaltari non posset.

II. Quis est ille, qui accipit?

Jesus Christus θεάνθρωπος, persona illa, de qua omnes, Christi actiones & passiones intelligendæ sunt.

An igitur sufficit, cùm dicitur Christum vel personam exaltatam esse & accepisse divinam gloriam?

Scriptura perspicuam locutionum harum explicationem nobis ipsa monstrat: Nam quia in Christi persona duæ sunt naturæ: idcirco non tantũ unitas personæ, sed discrimen quoq; naturarũ diligẽter attendẽdũ est, ut cũ dicitur Christũ esse mortuũ statim additur explicatio, secundũ carnẽ. Christus est ab æterno

secun-

secundum Deitatem. Par igitur & hîc ratio est; cum Scriptura testatur Christo in tempore datam esse omnem potestatem in cœlo & terra, omnem item gloriam & majestatem: explicatio necessariò requiritur, utrum nimirum dicta illa de Christo intelligenda sint secundum Deitatem, an secundum humanitatem, an secundùm naturam utramque.

Annon hoc certâ comprehendi potest regula?

Orthodoxa Ecclesia primitiva pulcherrimâ & utilissimam hanc regulam usurpare solita fuit contra Arianos, Eunomianos, & similes hæreticos, veram Christi Deitatem negantes & oppugnantes: quæ talis est. Quæcunque Scriptura dicit in tempore data esse Christo, illa de Christo intelligenda sunt secundum humanitatem, non secundum deitatem.

Quomodo verò regulæ illius veritas demonstratur?

Inde 1, quia divina natura est & immutabilis, & perfectissima: quocirca ipsi in tempore dari sive addi nihil potest. *Mal. 3. v. 6. Iac. 1. v. 17. Syr. 42. v. 22.*

2. Quæcunque Christo in tempore data sunt, pertinent ad officium mediatoris. Jam verò æterna & infinita Deitas æternam habet & infinitam virtutem & potestatem ab æterno, imò

ipsa

ipsa est virtus & omnipotentia essentialiter. Quare non opus habet, ut in tempore ipsi quidquam tribuatur. Humana verò natura tali virtute & potentiâ indigebat, ut mortem, Satanam & infernum vincere ac superare possit.

3. Quemadmodum Filius Dei secundùm Deitatem per æternam generationem à patre accepit infinitam virtutem & potentiam: Ita docent Orthodoxi primitivæ Ecclesiæ patres ex Dei verbo quòd Christus, ut homo in tempore per unionem personalem gloriam & majestatem divinam adeptus fuerit.

4. Eleganter Scriptura connectit talia, quibus disertè & indubitatò natura humana describitur, ut *Eph. 1. v. 20.* Et conjunguntur in Symbolo Apostolico mors Christi & resurrectio & exaltatio ad dextrã Dei, Sic D. Petrus argumẽtatur ab exaltatione Christi ad resurrectionẽ mortuorũ *Act. 2. v. 32. 33. 26.* Epistola *ad Hebr. 1. v. 3. 4.* copulat hæc duo: Christus sedit ad dextrã majestatis tantò melior factus angelis &c. Vide etiã *Matt. 26. v. 64.* Ita Confessio Augustana ait articul. 3. Christus adscendit in cœlos, ut sedeat ad dextram Dei.

5. Nonnulli ex patribus existimârunt quòd exaltatio Christi, sit quasi præmium quoddam obedientiæ & passionis (ubi tamen accurata explicatione opus est) *Psalm. 110. v. ult. Phil.*

Phil. 2. v. 9. quia Christus per passionem intravit in suam gloriam *Luc. 24.* Jam vero passus est Christus secundum carnem, ut notum. Ergo etiam exaltatus est secundùm carnem. Et absurdus esset qui dicere vellet Christum passum esse secundum humanitatem, ut exaltaretur secundùm divinitatem.

6. Utitur D. Paulus *Phil. 2. v. 9.* verbo quod significat donare & gratia dare, ἐχαρίσατο. Deitati vero ex gratia nihil donatur, sed humanitati.

7. Sæpissimè humana natura expressè ponitur, & appellatur caro & sanguis Christi: ut caro Christi est panis ille vitæ, sanguis ejus est potus ad vitam æternam *Ioh. 6. v. 51. 53. 54.* Corpus Christi est pro nobis traditum: sanguis ejus effusus in remissionem peccatorum *Matt. 26. v. 28. Luc. 22. v. 19. 20.* Deus proprio suo sanguine nos redemit *Actor. 20. v. 28.* Sanguis Filii Dei nos emundat ab omni iniquitate *1. Ioh. 1. v. 7.* Sic *Apoc. 1* describitur Filius hominis & membra ipsius, & de eo prædicatur quod ambulet in medio septem Candelabrorum aureorum h. e. Ecclesiarum *Apoc. 5. v. 12.* Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & divitias & sapientiam & honorem & gloriam & benedictionem.

III. Quodnam est illud, quod Christo secundùm carnem per & propter unionem personalē donatū est, & à Christo accipitur? Hoc

Hoc Scriptura disertè explicat: Est nimirum omnis potestas in cœlo & in terra. *Matt. 28. v. 18.* potestas omnis carnis *Ioh. 17. v. 2.* æternum imperium *Dan. 7. v. 14.* potestas exercendi judicium *Ioh. 5. v. 22. 27.* peccata remittendi *Matth. 1. v. 21. Matth. 9. v. 6. Marc. 2. v. 10. Luc. 5. v. 24.* vivificandi *Ioh. 5. v. 12.* resuscitandi mortuos *Ioh. 5. v. 25. 28.* gloria divinæ adorationis *Phil. 2 v. 10. 11. Hebr. 2. v. 9.* Omniscientia *Col. 2. v. 3.* Omnipræsentia *Matt. 18. v. 2. c. 28. v. 20.* Summa. Exaltatio ad dextram virtutis & majestatis super omnem principatum & potestatem & virtutem &c. *Eph. 1. v. 22 c. 4. v. 10. Ps. 110. v. 1. Phil. 2. Heb. 1. 2. &c.*

Estne talis gloria & potestas creata & finita, an verò infinita?

Breviter: Est divina virtus gloria & majestas, quæ filio Dei propria & adsumptæ humanitati per & propter unionem personalem cõmunicata est. Imo illa ipsa est gloria, quam Filius Dei habuit ab æterno, sicut ipse dicit *Ioh. 17 v. 5.* Clarifica me, tu pater, apud temetipsum claritate quam habui prius, quàm mundus fieret apud te.

Estne differentia aliqua inter omnem potestatem in cœlo & in terra Christo ut homini donatam, & inter infinitam Dei potentiã?

Scriptura Dei omnipotentiã definitura, vocat ipsũ Dominũ Cœli & terræ *Matt. 11. 25.* E

absur

surdum esset, si Christus ut homo accepisset πᾶσαν ἐξουσίαν in cœlo & in terra, nec tamen haberet πᾶσαν δύναμιν per quam illa ἐξουσία se exerat. Exerit autem Christus potestatem illam omnia gubernando, & inprimis in Ecclesia efficaciter per verbum & Sacramenta operando, peccata remittendo, vivificando, consolando, roborando, corda conquassata reficiendo, electos ac fideles defendendo cõtra Diabolum, mortem, infernum & damnationem, & qualvis Tyrannorum machinationes, omnia sciendo, omnia videndo, etiam tacitas pectoris cogitationes quas judicabit in die novissimo, ubi mortuos excitabit & omnibus, qui in vera fide ipsi constanter adhæserũt, vitam æternam dabit, impœnitentes verò & incredulos æternæ damnationi adjudicabit. Quæ opera certè omnia non nisi per infinitam virtutem, ac divinam potentiam effici possunt: atque ideò divinitatẽ Christi firmiter arguunt, id quod præter scripturam orthodoxi quivis testatum faciunt.

Qui verò infinita Dei potentia finitæ ac circumscriptæ humanitati communicari possit?

Hoc Deus omnium novit optimè. Nos claris Scripturæ testimoniis nitimur, neque ab illis ullis humanæ rationis argutiis abduci nos pati-

patimur. Quod si enim Filius Dei æternus personam suam infinitam ac divinam adsumptæ carni communicavit, quidni & infinitam suam omnipotentiam gloriam & maiestatem ipsi communicaret.

Sed videtur hoc quibusdam Eutychianum cum dicitur. Caro est omnipotens: exinde enim sequi dicunt quòd caro facta sit Deus?

Id verò minimè omnium sequitur. Deitas enim omnipotens est ab æterno ἀϊδίως, & omnipotentia ipsa: humana verò natura in Christo in tempore ad omnipotentiam filii Dei evecta est per & propter unionem personalem: & non est ipsa omnipotentia, quare & non est Deus aut Deitas ipsa, cum Filio Dei tamen personaliter unita: Unde hic homo, filius Mariæ, verus est Dei filius, quod suprà pluribus demonstratum est.

An etiam humana natura in Christo adoratur?

Una eaque indivisa oratione invocamus Christum Jesum Deum & hominem. Nam veluti in ipsum credimus, in ipso speramus, nomine ejus baptizamur, & per ipsum salvamur: Ita invocamus & adoramus eum in duabus naturis, ut unicum nostrum μεσίτην καὶ ἱκέτην: Id quod omnes sancti quovis tempore facti-

tarunt: *Luc. 5. vers. 8. Iohan. 9. v. 38. Actor. 7.* in fine.

Sed extat locus Jerem. 17. v. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine. Et Scriptura* Solum *Deum invocandum esse præcipit?*

Loquitur Propheta de nudis & meris hominibus, in quibus confidendum non est. Christus a. nō est nudus homo, sed unâ verus Deus. Quicunque igitur invocat Mariæ filiū, verum Deum invocat. Neque ulla Deo patri accepta est oratio, quæ in Christo non fundata est, in quo Deo sumus reconciliati. Et ipse noster mediator est & intercessor *Rom. 8. v. 34. Ioh. 16. v. 23. 1. Ioh. 2. v. 1.*

Quodnam est tertium genus communicationis Idiomatum?

Est & consistit in officio Christi, in quo utraque natura agit cum communicatione alterius quod cujusque est proprium. Unde apparet, cur Christum oportuerit simul esse Deum & hominem, hoc est, θεάνθρωπον.

Enumera mihi causas.

Quia homo peccaverat, hominem etiam pœnas luere oportebat. Quare Messiam verū hominem esse necesse erat. Quia verò purus & merus homo infinitam Dei iram sustinere, & pro admissis peccatis satisfacere non poterat, Messiam quoque verum Deum esse oportebat,

tebat, ut ipsius obedientia posset esse ἱλαστήριον λύτρον pro peccatis mundi. Christus igitur verusille mediator est inter Deũ & homines, & ad utramq; partẽ οἰκειώσιν & cognationẽ habet, ut possit cum Deo & hominibus agere, se medium interponere, inimicitias tollere, cum Deo nos reconciliare, & justitiam æternam reddere.

Cur autem Filius Dei naturam humanam adsumpsit, non pater aut Spiritus Sanctus?

Sicut per Filium Dei omnia sunt creata & facta ita etiam per eundẽ omnia sunt recreata & refecta, & filius Dei filius hominis fieri voluit, ut nos homines per eum fieremus filii Dei ex gratia, & Christus esset unicus Dei & Mariæ filius.

Estne Christus mediator noster secundùm utramq; naturam, an verò secundum humanam tantùm?

Christus θεάνθρωπος in utraque naturâ mediator noster est, aliâs humana natura sola non potuisset pro peccatis nostris satisfacere, & salutem nobis æternam promereri, ceu postea clarissimè demonstrabitur.

Sed Paulus aut Christum hominem nostrum esse mediatorem 1. Tim. 2. v. 5.

D. Paulus vocat hominẽ Jesum Christũ, qui non tantùm verus homo, sed & simul verus

Deus est. Et præbet nobis efficax solatium, quòd ipsum ab illa natura nostrum mediatorem nuncupat, secundùm quam nobis cognatus est: Ubi tamen natura divina minimè excluditur: Sicut & tum caro non excluditur, cùm dico Filium DEI pro nobis esse mortuum.

Sed & Patres Filium Dei, ut hominem, nostrum mediatorem esse ajunt?

Verè ajunt: & sententia eorum est, quòd Filius Dei secundùm nudam Deitatem solùm non sit mediator, sed quatenus humanam naturam adsumpsit. Ac proinde inter absolutam Deitatē & absolutā humanitatē mediator est Christus Jesus, Deus & homo in una persona.

Quodnam igitur est officium Christi mediatoris?

Officium Christi mediatoris est nos à peccatis nostris salvare, & cum Deo reconciliare. De quo scriptura distinctè loquitur, sic ut primò gerat officium Propheticum. 2. Sacerdotale & 3. regium.

Quomodo gerit Christus officium Propheticum?

Nobis voluntatem cœlestis sui patris revelando. Hinc dicitur Propheta, *Deut. 18. v. 18.*

Actor.

Act.3.v.22. Luc.7.v.16.c.24.v.19. Magister *Matth.23.v.10. Esa 33.v.22.* Rabbi & Rabboni *Ioh.3.v.2.c.20.v.16.* Apostolus confessionis nostræ *Hebr.3.v.1.* pastor, qui nos pascit sana doctrina, *Esa.40.v 11. Ezech.24.v.23. Ioh 10.v.9. Heb.13.vers.20.* Episcopus animarum *1. Petr.2.v.25.* lumen gentium *Esa.49.v.6. Luc.. 2.v.32. Act.26.v.23.* lux mundi *Ioh.1.v.4.* Angelus testamenti *Mal.3 v.1.* Evangelizans pacem *Eph.2.v.17.* testis fidelis, *Apoc.1.v.5.&c.* Hoc officium Christus exequitur docēdo Evangelium, & ministerium & Sacramenta instituendo, per quæ in Ecclesia sua est efficax. Unde Deus pater de cœlo nobis doctorem hunc audiendum commendavit *Matt.3.& 17* Hic est filius ille meus dilectus, hunc audite.

Quomodo CHRISTUS gerit officium Sacerdotale?

Nostro loco divinæ legi se subjiciendo perfectissimam ipsi obedientiam præstando semetipsum hostiam pro nobis offerendo, ut nos redimeret: item prò nobis apud cœlestem patrem interpellando.

In quo consistit obedientia Christi?

I. In eo, quòd legi factus fuit obediens, eamque in omnibus partibus plenè & perfectè observavit, quod factu nobis erat impossibile.

2. Quòd contumeliosissimam & acerbissimâ mortis pœnam in cruce pro nobis perpessus est, quò nos ab æternâ morte liberaret.

Quomodo Christus intercedit pro nobis apud patrem?

Quoniam propitiatio est pro peccatis nostris, ideò advocatum habemus in eo fidelem apud Patrem. *1. Ioh. 2. v. 1. 2.* qui est ad dextram Dei, & interpellat pro nobis *Rom. 8. v. 34.* Sicut in oratione illa sacerdotali, cùm passionis hora jam jam instaret, nos patri suo fidelissimè commendavit *Ioh. 17. v. 9. & seqq.*

Quas Christus habet appellationes de officio suo sacerdotali?

Dicitur Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedeck *Psal. 110. v. 4. Heb. 7. v. 21.* mediator novi Testamenti *Heb. 9. v. 15. c. 12. v. 24.* pontifex fidelis ad propitianda delicta *Heb. 2. v. 17.* Pontifex futurorum bonorũ *Heb. 9. v. 11.* administrator (λειτουργὸς) sanctorum & tabernaculi veri, quod Deus fixit *Heb. 8. v. 2. redemptor noster Ioh. 19. v. 25.* agnus Dei, qui tollit peccata mundi *Ioh. 1. v. 29.* agnus occisus ab origine mundi *Apoc. 13. v. 8.* (intelligè ratione æterni decreti, & promissionis Evangelicæ, & typicorum sacrificiorum in V. T. & vigoris atq; efficaciæ, quia pii patres, & omnes, qui verâ fide promissum Messiam intuiti sunt, unico

unico & uno hoc agni Dei sacrificio salvati fuerunt, *Act.13.v.12.c.15.v.11.c.10.v.43. Rom. 4.v.4.6.11.33. Ioh.8.v.36.*) Pascha nostrum *1. Cor.5.v.7.* justitia & redemptio nostra *1.Cor.1 v.30.* advocatus noster apud Deum *Rom.8.v. 34.1.Ioh.2.v.1.* salvator noster *Luc.2.v.11.*&c. pax nostra *Eph.2.v.14.* salus nostra *Esa.49.v. 26.* Cujus typi in V.T. fuerunt sacerdotes, de quo tota Epistola ad Hebræos testatur.

Quomodo gerit Christus officium regium?

Potenter dominando & gubernando omnia quæ sunt in cœlo & in terra, inprimis v. Ecclesiam. Hinc vocatur Rex *Ezech.37.v.24* rex noster *Esa 33.v.22.* Rex David *Ose.3.v.5.* rex super domum Jacob in æternum *Luc.1.v. 33.* rex justitiæ, rex pacis *Heb.7.v.2.* princeps, dux & dominator *Ezech.37.v.25. Dan.9.v. 25. Mal.3.v.1. Esa.35.v.4.* princeps pacis *Esa. 9.v.6.* dux vitæ *Act.3.v.15.* dux & auctor salutis *Heb.2.v.10.* Leo de tribu Juda *Apoc.5.v.5.* hæres omnium *Heb.1.v.2.* Dominus noster *1. Cor.1.v.2.* & alibi passim. Hujus typus fuit rex David & Salomon.

Describe mihi regnum Christi aliquantò plenius?

Regnũ Christi consideratur vel in hac vel in altera vita. In hac vita dicitur regnum potentiæ, & regnũ gratiæ. In altera dicitur regnũ gloriæ.

Quodnam est regnum potentiæ?

Regnum potentiæ est generale dominium super omnia creata in cœlo & in terrâ: de quo Christus ait. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra *Matth.28.v.18.* Et legitur *Psal.110.v.1.* Sede à dextris meis. Quod Paulus *1.Cor.15.v.5.* ita explicat. Oportet Christum regnare. Et ulterius habetur in 110. Psal. v.2. Domine in medio inimicorum tuorum. Quò pertinent testimonia *Dan.1.Psal.2.8.72. Eph.1. & 4. Heb.1.2.&c.*

Quodnam est regnum gratiæ?

Regnum gratiæ est specialis operatio misericordiæ & bonitatis Christi, dum emittit ministros suos *Matth.28.Mar.16.Luc.24.Act.1. Eph.4.* & per Evangelium & Sacramenta Ecclesiam sibi colligit. ibid. in qua homines illuminat, regenerat, justificat, sanctificat Joh. *3.6.17.Eph.7.Tit.3.Rom,1.10.&c.* protegit & gubernat *Matth. 28. Apoc.1.2.* variis donis ornat. *Matth.16. Act.2.3.Rom.12.1.Corinth. 12.Eph.4.*

Quodnam est regnum gloriæ?

Regnum gloriæ pertinet ad cœlestem vitam quando Christus mortuos excitabit, & fideles ad se recipiet, & cœlesti gloria decorabit, ut cum ipso in æternum vivant, & dominentur, ubi

ubi cõtrà omnes impœnitentes & increduli à facie Dei projecti æternis gehennæ flammis ustulandi subjicientur. *Matth.25.Ioh.3.v.16. 17.18.1.Thess.4.1.Cor.15.Apoc.21.22.*

Exequiturne Christus hoc officium secundùm divinitatem tantùm, an verò secundùm utramque naturam?

Quia Filius Dei humanam naturam adsumpsit, ut opus redemptionis absolvere posset, ideò invicta stat conclusio quòd hoc officium, & hæc nomina officii Christo secundùm utramque naturam tribuenda sint juxta Canonem Concilii Chalcedonensis: Utraq; natura agit cum communicatione alterius, quod sibi proprium est.

Exinde autem sequetur, Christum secundùm carnem quoque omnia præsenter gubernare in cœlo & in terra?

Ita est. Christus, θεάνθρωπος in & secundùm utramque naturam efficaciter & præsenter dominatur & gubernat omnia opera manuum Dei *Ps.8.Eph.1.& 4. Heb.1.& 2. 1. Cor. 15.* & inprimis Ecclesiæ suæ, & cunctis fidelibus gratiosa sua præsentia adest, juxta promissionem: Ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi *Matth.28.v.ult.* Et ubi

duo vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, in medio ipsorum sum, *Matth. 18. v. 10.*

Sed sunt qui dictum hoc de Christo explicare volunt tantùm secundùm deitatem?

Explicatio hæc non congruit cum verbis ipsis. Omnemque dubitationis ansam Christus nobis præcidit in institutione S. Cœnæ, quando in specie corporis & sanguinis sui mentionem facit: quæ Sacramentalis præsentia invictè arguit Christum non secundùm Deitatem solùm, sed etiam verè in & cum carne Ecclesiæ suæ præsentem in eáque per verbi prædicationem, & Sacramentorum administrationem efficacem esse. In quo maxima solatii vis fidelibus omnibus reposita est, quia Christum Dominum ac fratrem nostrũ ubivis nobis præsentem habemus, qui nos soletur, defendat, & ab omni malo liberet.

Quomodo verò corpus finitum simul in cœlo & terra esse poterit?

De hoc Christus Dominus meus viderit, in cujus ego verbis & promissione unicè innitor quæ verax est & falli non potest. Et potest ipse abundanter præstare quæ mihi & cunctis fidelibus promisit. Ratio humana mysterium hoc non perveſtigabit, etiamsi ad finem

nem usque mundi speculari istud & solicitè indagare velit.

Quid, si diceremus Christum nobis adesse spiritu & donis suis: E. corporali præsentiâ opus non erit?

Ubi Christus mediator & Salvator noster in statu exaltationis præsens est spiritu & donis suis, ibi etiam ipse suâ essentia præsens est. Non enim dominatur, veluti rex aliquis in aulâ regia sedet meâtve, & suos habet ministros hic & illic, per quos negotia sua procurat. Sed cœlum est sedes eius, & terra scabellum pedum ejus, omniaque in manu habet, & gubernat omnia in cœlo & in terra, ita ut ambulet in medio septem candelabrorum aureorum h.e. in Ecclesia in terris, ut *Apoc. 1.* videre est.

Christus an officium suum uno eodemq; modo semper gessit?

Distinctè loquitur Scriptura de statu exinanitionis, & exaltationis. Distinctio igitur illa & nobis observanda.

Quid est exinanitio Christi:

D. Paulus describit *Phil. 2. v. 5. 7. 8.* quod sit humilis obedientia Christi, dum formam servilem adsumpsit, & obediens factus fuit ad mortem usq; crucis; Quò pertinēt omnia, quę

Chri-

Christus pro nobis sponte perpessus fuit. Fuitque David in exilium expulsus pulcherrimus exinanitionis Christi typus: 2. Sam. 15. v. 16.

Sed dicunt nonnulli Exinanitionem nihil aliud esse quam ipsam incarnationem Filii Dei?

Expressè ait Paulus, Christum Jesum, hoc est, personam θεάνθρωπον sese exinaniviſse usque ad mortem. Aliud igitur est, de Incarnatione Filii Dei loqui, quæ est inclinatio divinæ misericordiæ: & aliud est agere de exinanitione (quam D. Paulus verbo Græco vocat κένωσιν evacuationem) Christi h. e. totius personæ quæ est θεάνθρωπος.

Cur Paulus vocat evacuationem, κένωσιν.

Quia Christus divinam suam gloriam & majestatem tum non exeruit, sed eam quasi suspendit & occultavit, neque apparere & operari in carne sua permisit, nisi ubi gloria Dei, officium Christi, & salus hominum requirebat, ubi veram suam Deitatem patratione divinorum miraculorum manifestavit.

Quid est exaltatio Christi?

Exaltationem Christi ita describit Scriptura; Exaltatio est Christi pro nobis passi, mortui & à mortuis resuscitati per adscensionem ad cœ-

ad cœlos evectio ad dextrã majestatis & omnipotentiæ divinæ, & gubernatio omnium, quæ sunt in cœlo & in terra. *Marc. 16. v. 19. Act. 1. v. 9. c. 2. v. 33. c. 3. v. 21. c. 10. v. 38. 41. Rom. 8. v. 34 1. Cor. 15. v 25. ex Psal. 110. v. 1. Eph. 1. v. 20. c. 4. v. 10. 11. Heb. 1. v. 3. 6. 13. c. 2. v. 8. ex Psal. 8. Apoc. 5 v. 12. 13. &c.*

At dictum est antea, quod unio hypostatica sit causa & fundamentum majestatis divinæ: qui fit igitur, ut exaltationi nunc adscribatur?

Fundamentum & causa communicationis Idiomatum est & manet unio hypostatica: Quia verò Christus plenaria usurpatione divinæ majestatis & gloriæ in statu exinanitionis sese abdicavit, ut pati ac mori, atque ita officium mediatoris perficere posset: proinde hoc ordine progressus est, ut per passionem in gloriam suam intraret *Luc. 21. v. 26. Psal. 110. v. ult. Phil. 2. v. 8. 9.* Et testatur Scriptura, quod per adscensionem in cœlos & sessionem ad dextram patris exaltatus sit, & acceperit omnem potestatem in cœlo & in terra. *Luc. 22. v. 69. Act. 2. v. 33. & seqq. Eph. 1. v. 20. Heb. 1. Matth. 28.*

Si per adscensionem in cœlos talem potestatem accepit, antea ipsam non habuit?

In

In Christo habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter, *Col. 2. v. 9.* à primo statim momento factæ unionis hypostaticæ. Non igitur nova est & peculatis illa virtus & omnipotentia, quam Christus antea non habuerit: Sed est solùm exaltatio ad plenariam usurpationem & declarationem illius per unionem hypostaticam acceptæ, & aliquandiu in statu exinanitionis suppressæ divinæ virtutis & omnipotentiæ, quæ plenè se nunc exerit in gubernatione omnium creaturarum in cœlo & in terra.

Explica hæc mihi uberius?

D. Paulus elegantem proponit similitudinẽ quæ apprimè hic quadrat *Gal. 4. v. 1.* Quãto tempore hæres parvulus est, inquit, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium: Ita Christus in statu exinanitionis erat hæres *Ps. 2. v. 8. Hebr. 1. vers. 2.* Verùm adsumebat formam servilem, *Philip. 2. v. 7.* & veluti Ecclesia canit:

Er gieng in einer armen Gestalt
Gar heimlich führt er seine Gewalt
Den Teuffel wolt er fangen.

Cum igitur omnia obedientia sua adimple visset, non accipit novam vel hæreditatem vel regnum aut dominium, sed inthronisatur quasi & inauguratur ad perfectam & plenam pos-

possessionem & usurpationem cœlestis imperii, ut nunc perfectè regnet & dominetur in cœlo & in terra. Vide historiam Joæ, quomodo in infantia occultatus, & septimo ætatis anno rex Judæ coronatus fuerit. 2. *Reg. 11.*

Quomodo Christus in cœlum adscendit?

Die quadragesimo post glorioſissimam resurrectionem verè è monte Oliveti per aërem sursum versus elevatus est, videntibus Apostolis, & nubes suscepit eum ab oculis Apostolorum, atque ita adscendit in cœlum, & sedit ad dextram patris sui *Matt. 28. Marc. 16. Luc. 24. Act. 1.*

Vbi est cœlum illud in quod Christus adscendit?

Semovendæ hîc sunt omnes cogitationes carnales, neque oculi versus Orientem meridiem occidentem vel septentrionẽ vertendi, & locus quærendus, in quo Christus sedeat aut ambulet, quemadmodum ratio humana fingit. Adscendit enim Christus super omnes cœlos, ait Paulus *Eph. 4. v. 10.* ut omnia adimpleret. Seditque ad dexteram virtutis & majestatis divinæ *Luc. 22. v. 69. Heb. 1. v. 3.* Ubi iterũ non fingenda est localis aliqua sedes, ac si

Chri-

Christus ad dextram, Deus pater verò ad sinistram sedet. Intelligitur autem per dextrã Dei potentia majestas & gloria divina, ad quam Christus, ut homo, evectus est, adeò ut nunc tanquam θεάνθρωπος regnet ac dominetur omnibus quæ sunt in cœlo & in terra: Sicut omnia Scripturæ testimonia, in quibus dextræ Dei, & sessionis ad dextram Dei mentio fit, clarè & apertè comprobant *Exod. 15. v. 6. Psal. 77. v. 11. Psal. 118. v. 16. Psal. 110. v. 1. Luc. 22. v. 69. Marc. 16. v. 19. 20. Act. 2. v. 33. 1. Cor. 15. v. 25. Eph. 1. v. 20. 21. 22. Heb. 1. v. 3. &c.*

Dicit autem Scriptura Christum sedere à dextris Dei in cœlo, & in altis, & inde ipsum venturum esse ad judicium?

Christus certè sedet in cœlo, & in altis ad dextram Dei. Non autem per illam denotatur locus aliquis, sed describitur altitudo cœlestis, divina gloria & majestas, quæ Christo data est. Idcirco non dicimus Christum in terris sedere ad dextram Dei. Non enim habet regnum terrestre & caducum, sed cœleste & æternum. Nihilominus tamen regnat, & gubernat in cœlis & terra omnia opera manuum Dei, nec quidpiam exceptum est, quod ipsi non sit subjectum, & regnum ejus extensum est super omnia, *Hebr. 1. v. 3. c. 2. v. 8. Psal. 8. Matth.*

Matth. 28 Psal. 103. v. 19. Quod verò attinet reditum Christi ad judicium, nullibi habetur, quòd Christus à dextris Dei sit venturus; Sed ita testantur Angeli *Actor. 1. vers. 11.* Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum: Ubi non erit avulsus à dextris Dei, sed, veluti ipse ait Matth. *25. v. 31. 32.* Veniet filius hominis in majestate sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ &c. *Matth. 26. v. 64.* Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cœli.

Huic Domino ac Servatori nostro unico unâ cum patre & Spiritu sancto sit laus gloria, honos & majestas seculis nunquam terminandis,

AMEN.

DE

BAPTISMO.

Quæ tua de Baptismo fides est & confessio?

COrde credo, & ore confiteor ex Dei verbo & secundum illud, Baptismum esse primum. N. T. Sacramentum à Christo institutum, in quo homo vivus in aquam immergitur, vel aquâ adspergitur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut regeneretur & renovetur per Spiritum Sanctum.

Quid significat vox Baptismi?

Græca Βαπτισμὸς, Latina Baptismus, Vernacula Tauff / varios habet significatûs in Veteri & Novo Instrumento. Generatim verò significat lavacrum vel absolutionem, ut passim in Levitico Mosis, *& Heb 9. vers. 10. Marc. 7. v. 4.* & D. Paulus expresse vocat λουτρὸν, lavacrum, *Eph. 5. v. 27. Tit. 3. v. 5.*

Cur Baptismus appellatur primum Sacramentum N. T.

Quemadmodum in V. T. erat Circumcisio

Gen.

Gen. 17. Ita in Novo Baptismus est prima quasi janua, per quam ad Christum & in Ecclesiam ingredimur. Unde Sacra Cœna nulli administrari debet nisi baptizato: sicut & in V. T. nemo nisi circumcisus ad esum agni paschalis admittebatur, *Exod. 14. v. 48.*

Quis est author Baptismi?

Omnium Sacramentorum author primus est Deus, qui solus potest dare & confirmare gratiam Sacramentis annexam. Hinc Christum Baptismi authorem esse dicimus.

At baptizavit Johannes Baptista ante Christum?

Id fecit non propria authoritate, sed divino mandato jussus, *Joh. 1. v. 23. 26. 33. Luc. 3. v. 2.* Atque ita Baptismus Johannis de cœlo fuit. *Matth. 21. v. 25.* Et Pharisæi renuentes à Johanne baptizari, dicuntur spreviſſe consilium Dei adversus semetipsos, *Luc. 7. v. 30.*

Quemadmodum igitur Spiritus Christi, qui in Prophetis erat, de Christo vaticinatus fuit, *1. Pet. 1. v. 11.* ita idem Spiritus Christi Johannem Baptistam excitavit, & baptizare jussit. Deinceps Christus discipulis suis Baptismi promulgationem in Judæâ injunxit, *Joh. 3. v. 22. c. 4. v. 2.* Et cœlum jam jam adscensurus administrationem Sacramenti illius

per totum terrarum orbem demandavit *Mat. 28. Marc. 16.*

Ergòne unus est & idem Baptismus, Baptismus Christi, & Baptismus Iohannis an verò diversus?

Unus est Baptismus, ait Paulus *Eph. 4. v. 5.* Quanquam igitur inter personam Christi Domini & Baptistæ servi discrimen immensum sit, unum tamen manet Baptismi Sacramentum, quo & Christus ipse & discipuli ejus baptizati sunt, & quo Christiani omnes baptizantur. Et non minus Johannes in remissionem peccatorum baptizavit, *Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3.* quâ discipuli Christi. Quid? quod uno eodemque tempore & Baptista & discipuli Christi baptizârint, ut patet ex *Ioh. 3. v. 22. 23.* Quod certè factum non fuisset, si illi quos Johannes baptizaverat à discipulis Christi rebaptizari opus habuissent. Sicut igitur Christus & Johannes unam eandemque doctrinam proposuerunt: ita & unus est Baptismus Christi & Johannis, non geminus.

Verùm Baptista ipse dicit se baptizare aquâ; Christum verò baptizaturum esse Spiritu Sancto, Matt. 3. v. 11.

Johannes ibi non describit duplex Sacramentum (unus enim Baptismus, Eph. 4. 5.) sed discrimen ostendit, inter personam suam

&

& Christi, quod ipse tantũ, sit minister, Christus verò causa princeps ac Dominus, à quo unico & uno omnis efficacia & virtus dependeat. Et sic quemlibet Ecclesiæ ministrum fateri oportet, quòd non ipse, sed Christus in Baptismo à peccatis nos lavet purgetque *1. Corin. 4. v. 6.* Propriè verò Baptista ibidem loquitur de mirabili effusione Spiritus Sancti sub specie linguarum ignitarum, ut apertè patet ex *Actor. 1. vers. 5. & cap. 2. vers. 3. 4. & cap. 11. v. 16.*

Homo baptizandus ẽstne in aquam immergendus, an verò aquâ adspergendus?

Censent quidam, quòd vocabulum Βαπτιζειν propriè significet in aquam immergere? & exempla in promptu sunt, quæ immersionem istam in Ecclesia primitiva usitatam fuisse comprobant. Verùm res hæc non est necessitatis, sed libertatis, ac proinde adiaphora. Vox enim Βαπτίζειν in genere significat lavare, licet, id quod baptizatur in aquam planè non immergatur. Et utitur Paulus vocabulo, λουτρὸν, quod significat lavacrum. Quare verus ille & legitimus Baptismus est, quando homo juxta institutionem Christi aqua adspergitur, & ita lavatur in nomine individuæ Trinitatis. Ita D. Petrus *1. epist. 1. v. 2.* vocat

adspersionem sanguinis JESU CHRISTI.

Quoniam satis ostensum est, quòd Christus Baptismi author sit: nunc dicas velim, cui Baptismi administratio in Ecclesia propriè sit concessa?

Baptismi administratio propriè pertinet ad ordinarium Ecclesiæ ministerium, quemadmodum Christus ipse ea conjungit (*Matt. 28.* Docete omnes gentes, baptizãtes eos &c. Baptismus igitur ordinariè administrandus est à Pastoribus & Ecclesiæ ministris.

Quòd si Pastor falsa doctrinâ vel hæresi aliqua infectus sit, an & ille verum Baptismum conferre possit?

Distinctè hîc respondendũ est. Si Pastor erroribus infectus sit, qui immediatè pugnent cum institutione Baptismi, & quibus ipsa Baptismi essentia negetur: Et doctrina illa falsa publicè in Ecclesia sonet, nemo Baptismum ab ipso petere vel potest vel debet: Quid? quòd & conferre eum non possit, cùm quantum in ipso est, Baptismi institutionem tollat. Si verò hæresin privatim & occultè secum foveat, nec publicè spargat, aut aliis etiam erroribus apertum patrocinium præbeat, quibus insti-

institutio & essentia Baptismi non negetur: ordinem verò baptizandi à Christo institutum servet, verum & perfectum Baptismum ipsum administrare certum est.

Quomodo probari illud potest?

Apud Prophetam Ezechielem *c.16.v.20.21 c.23.v.37.* legitur, quòd Judæi, multiplici idolatriâ fascinati, Deo filios genuerint, intellige per circumcisionem. Sicut & tempore Christi inter Judæos visibiliter ambulâtis, licèt Pharisæorum doctrina variis erroribus conspurcata esset, circumcisio tamen salva & integra mansit & circumcisi per eam in fœdus Dei cooptati sunt. Ubi discernere nos oportet id quod bonum est, atque à Deo & ordinatione ipsius dependet, à fermento Pharisaico & traditionib. humanis, qui ordinationi divinæ assuuntur, & eam quidam commaculant, non tamen tollunt aut negant.

An & in Papatu verus habetur Baptismus?

Cùm omnia ad Baptismi essentiam necessaria in Papatu sarta tecta conserventur, non dubium est, quin verum & integrum Baptismum habeant, quamvis fermento Papistico variis modis sit contaminatus: Hinc illi, qui in Papatu baptizati sunt, neutiquam rebaptizari debent.

Potestne igitur homo verè Christianus infantem suum baptizandum sacrificulo Pontificio bonâ conscientia offerre?

Tenetur quilibet summo studio quærere Ecclesiam puram & sinceram, in eaque Sacramenta suscipere. Et Christiani parentes nullis neque laboribus neque sumptibus parcēt, quò & ipsi & ipsorum domestici, quantùm quidem in ipsis est, idolomanias Papisticas fugiant, neque istis sese polluant. In extremo tamen summæ necessitatis casu, ubi infanti vel sine Baptismo moriendum est vel Baptismus à Sacrificulo Pontificio petendus & accipiendus, consultius est Christianos parentes à Pontificiis Baptismum petere, quàm infantem sine Baptismo decedere. Petetur tamen Baptismi simplex & genuina administratio juxta Christi institutionem, remotis quibusvis additamentis humanis. Et quamvis omissionem ceremoniarum Papisticarum obtinere non possit, eo ipso tamen testatur se easdem improbare, & illud solùm quærere ac petere, quod CHRISTUS ordinavit & mandavit.

Impedit ne Baptismus, si ille qui baptizat non sit integer vitæ scelerisque purus?

Non

Non. Vis enim atque virtus ministerii Ecclesiastici non dependet à personæ vita & moribus, aut ministri dignitate, sed unicè & solùm ex Dei, ministerium & Sacramenta instituentis, veritate & potentia. Non igitur respiciendum est ad personam ministrorum, sed ad Deum ipsum ejusque ordinationem, ut pura & incorrupta servetur. Nihil refert, inquit Augustinus, utrum per canalem lapideum aut argenteum aqua transeat ad areolas irrigandas. Et jubet Christus audire scribas & Pharisæos in Cathedra Modis sedentes, *Matt. 23. v.* hoc est, legentes libros & scripta Mosis, licet, ipsi, quà doctrinam quà vitam, omnium essent corruptissimi.

Quod si baptizans non habeat intentionem baptizandi an nihilominus verum Baptismum administrat?

In Baptismi administratione noli sollicitus esse, quid hic vel ille secum in corde cogitet, qualemvé intentionem aut devotionem habeat, sed unicè attende Dei verbo & ordinationi. Si illa integra servatur, verus sine dubio Baptismus est, nec diversus ab eo, quem Christus instituit.

Potestne etiam Baptismus ab aliquo, qui non est ordinarius Ecclesiæ minister, administrari?

Ordinis ratio diligentissima semper habenda est, nec quidpiam contra ipsam suscipiendum Ordine enim & decenter in Ecclesia omnia fient 1. *Cor. 14. v. ult.* In extremo tamen necessitatis casu, ingruente mortis periculo, & Pastoris auxilio deficiente, non illicitum est, sed Christianum, si infans baptizetur à præsente aliquo sive mare, sive fœminâ in nomine SS. Trinitatis, juxta ordinem à Christo præscriptum. Si tamen fiat, ut infans in vivis servetur, ordinario Ecclesiæ ministro id significandum, infans in templum deducendus, Baptismus publicè confirmandus, Deiq; auxilium & benedictio ulterior ardenter imploranda est.

Sed quidam γυναικοβαπτιζῶ valdè sunt iniqui?

Nullũ nos in hoc casu discrimẽ observamus inter viros & fœminas, *Gal. 3. v. 28. 1. Pet. 3. v. 7. c. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6. c. 5. v. 10.* Et Zipora filiũ suũ circumcidit, *Exod. 4. v. 25.* Multa quoque eaque laudabilia facta religionem concernentia de piis matronis prædicantur: ut, de Deborâ *Iud. 4.* Hulda, *2. Reg. 22. v. 14.* Hanna *Luc. 2. v. 36.* Loide & Eunice, *2. Tim. 1. v. 5. c. 3. v. 15.* Priscilla, *Act. 18. v. 29.* quam D. Paulus vocat suam in Domino coadjutricem, *Rom. 16. v. 3.* Et potest pia aliqua matrona in scholis puellarum

rum docendo multum prodesse. Ad quas etjam pertinet promissio: Ubi duo vel tres (sive mares sive fœminæ) in nomine meo cõgregati fuerint, in medio eorũ sum, *Matt. 18. v. 20.*

Enumera mihi Baptismi essentialia?

In Baptismo sunt. 1. externum elementum aquæ: deinde SS. Trinitas Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Qualis aquâ requiritur ad Baptismum?

Vera & naturalis aqua, qualis ex terrâ scaturit, inque fluminibus per tõtum orbem derivatur. Peccãt igitur isti graviter, qui in pompam aquas nobiles, stillatitias & odoratas adhibent, aut illis aquis alias permiscent. Quod Pastores nullatenus concedent, sed ordinem Christi accuratè & prelsè observabunt.

Non igitur ad Baptismum adhibere licet liquorem alium, ut lac, cerevisiam, vinum, & alia?

Nõ licet: Sed aqua vera & genuina, qualis in Jordane fuit, in quo Christus baptizatus est, requiritur. Ait enim Christus, nos renasci oportere ex aqua & Spiritu, *Joh. 3. v. 5.* Et Johannes Baptista se missum esse dicit ad baptizandum aqua *Joh. 1. v. 33.* Quare & in Jordane baptizavit, *Matth 3. vers. 6. 7.* Et sic etiam disci-

discipuli Christi aquâ baptizarunt *Ioh. 3. v. 22. 23. 26. c. 4. v. 2. Act. 8. v. 38. cap. 10. v. 47.* Unde Paulus Baptismum vocat lavacrum aquæ in verbo, *Eph. 5. v. 26.* Et D. Petrus testatur quod aquæ diluvii fuerint typus Baptismi *1. Pet. 3. v. 20.* Quò etiam â piis patribus accommodatur id, quòd ex perfosso latere Christi in cruce profluxerit aqua & sanguis, hoc est Baptismus & cœna Dominica *Ioh. 19. v. 34. 1. Ioh. 5. v. 6.* Et semper in Ecclesia ad Baptismum vera & naturalis aqua adhibita fuit.

Estne aqua ante actionem Baptismi certis quibusdam ritibus consecranda aut exorcisanda?

Ea de re altum in Scripturis est silentium. Per verbum autem institutionis aqua sanctificatur, ut sit & nominetur lavacrum aquæ in verbo *Eph. 5. v. 26.* & lavacrum regenerationis ac renovationis in Spiritu Sancto *Tit. 3. vers. 5.*

Quomodo probatur, SS. Trinitas ad Baptismi essentiam pertinere?

Probatur ex institutione ipsa, ubi Christus inquit: Baptizate in nomine patris & Filii & Spiritus Sancti *Matth. 28. & Ioh. 3. v. 5.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest in regnum Dei introire. Et in Baptismate Chri-

te Christi Deus pater cœlesti voce auditur: Deus Filius stat in Jordane: & Deus Spiritus Sanctus descendit super Christum in corporali specie columbæ, *Matt.3.v.16.17. Luc.3. v.22.Ioh.1.v.32.33.34.*

Annon verò & sanguis Christi ad essentiam Baptismi pertinet, quia scriptum est: Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato 1. Joh. 1.vers.8.

Quando baptizamur in nomine Filii, per Filium intelligitur Filius Dei ἐνσαρκῶ & incarnatus, ac proinde caro adeóque & sanguis ipsius simul includuntur. Fundatur enim Baptismus in Christi morte & resurrectione, veluti Paulus *Rom.8.v.3.& Petrus 1.ep.3.v.21.* testatur. Et hinc suam ἐνέργειαν & efficaciam indepta est.

Describe mihi officium Sacramentale aquæ in Baptismo?

Officium aquæ Sacramentale consistit in eo, ut hæc aqua verbo Dei inclusa & comprehensa sit medium, symbolum, & instrumentum divinum, per quod & cum quo SS. Trinitas in hominibus, qui baptizantur, efficaciter operari vult regenerationem & renovationem. Testimonia *Marc.16.Iohan.3.v.5.Eph.*

5.v.

5. v. 26. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21. Act. 22. v. 16. sunt clara.

Annon igitur rectè dicitur: Quemadmodum aqua abluit sordes corporis, ita per Baptismum significatur, Christi sanguine nos ablui à peccatis?

Hoc institutioni Christi non est conforme, neq; subsistere ullibi potest. Disertè n. Petrus testatur, quòd aqua in Baptismo non eum in finem adhibeatur, ut sordes corporis abluantur 1. *Epist.* 3. v. 21. Et Paulus Baptismum lavacrum aquæ in verbo nominat, *Tit.* 3. v. 5. Ubi talis analogia fingenda non est, qua virtus & efficacia Baptismo detrahitur.

At extat in Catechismo Lutheri hæc quæstio: Quid significat istâ in aquam immersio? Vbi certè analogia aliqua innuitur?

Baptismus operatur remissionem peccatorum, liberat à morte & Diabolo, & donat æternam beatitudinem: quæ verba Lutheri in Catechismo verbo Dei sunt conformia. Deinde elegans analogia ostenditur integri Sacramenti Baptismi (non solius aquæ) quâ usus & effectus Baptismi declaratur, hoc modo. Quemadmodum homo immergitur in Baptismo: ita in mortem Christi sepelitur, & relur-

resurgit novus homo, de quo *Roman. 6. vers. 4. Gal. 3. vers. 27.* Nusquam verò in sacris literis habetur analogia illa aquæ in Baptismo significantis & adumbrantis sanguinem Christi.

Quâ forma Baptismus est administrandus?

Secundum verba institutionis, quæ omninò & præcisè retinenda sunt, & eo ordine, quê Christus discipulis suis præscripsit, Matth. 28. ita ut minister baptizaturus infantem aspersa seu affusa manu capiti aqua dicat. *Ego te* (Johannem, Margaretham &c. *baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.*

Explica hæc mihi uberius?

Verbum, *Ego baptizo* comprehendit totâ actionem Dei & ministri. Baptizat enim minister non suo, sed Dei nomine: vel potius Deus ipse baptizat per ministrum, qui os & manum accommodat ad ministerium Dei. Et sic homo Christianus verè dicere & gloriari potest, se à Deo (non immediatè, sed per ministrum) baptizatum esse. In quo magna solatii pars nobis reposita est.

Quoties aqua adspersio in Baptismo fieri debet, semelne an ter?

Positum hoc est in libertate Christianâ. Nullum enim hac de re expressum mandatum in Scri-

Scripturis extat. Qui semel tantũ adspergunt vel immergũt, unitatẽ Dei isthoc notari volũt. Qui ter adspergunt vel immergunt, ob trinitatẽ personarum, in divinitate fieri dicunt. Quæ res non adeò magni est momenti. Meritò tamen ordo in Ecclesiis bene constitutis usitatus retinetur, & trina adspersio observatur, ut omni offendiculo ansa præscindatur.

Dicétne Minister: Baptizo te in nomen Dei, vel in nomine Dei.

Non necessaria est novatio illa, quòd nonnulli malunt baptizare in nomen Dei, quàm in nomine. Nos retinentes linguam priscorũ Germanorum baptizamus, in nomine Dei h. e. Dei mandato, & cum invocatione nominis divini, & in promissionem ejus, certò credentes, quod Deus actioni huic sacræ clementer adsit, perque ipsam efficaciter operetur, quodque Deus pater istum, qui baptizatur & credit, per Baptismũ in fœdus gratiæ propter filii sui meritum, recipiat, Spiritu sancto suo obsignet, & remissionem peccatorum justitiam & salutem æternam confirmet.

Vnde hoc probatur?

Quòd Deus Pater per Baptismi Sacramentum fœdus ineat, & pactum nobiscum constituat, testatur Petrus *1. epist. 3. v. 21.* & Paulus

Tit.

Tit.3.v.5. De gratiosa præsentia & operatione Christi, testantur dicta *Eph.5.v.25.26. Rom. 6.v.3.1. Pet.3,v.21. Gal.3.v.29.* De Spiritu sancto, ejusque efficacia loquitur *Christus Ioh.3. v.5. & D. Paulus Tit.3.v.5.* Verè igitur statuamus, SS. Trinitatem Baptismo virtute sua adesse, ac proinde ipsum institutum non humanum, sed divinum esse. Et sæpe memoriæ repetamus historiam dulcissimam & jucundissimam Baptismi Domini nostri Jesu Christi, in quo Deus Pater sua voce se patefecit, Filius in Jordane stat & baptizatur, & Spiritus Sanctus in specie visibili columbæ super Christum descendit. *Matth.3. Marc.1. Luc.3. Ioh.1.* Sic verè nobis dulcescit memoria nostri Baptismi susceptí, & judicare rectè possumus de virtute & efficacia Baptismi, quod tota dependeat nõ ex aqua (ut multi solent calumniari) sed ex Deo ipso, cui nos per hoc organum à peccatis emundare placuit.

Qui finis & effectus Baptismi?

Per istum regeneramur & renovamur Spiritu Sancto: atque ita in fœdus Dei recipimur, ut simus filii ipsius, Christo insiti, & vera mẽbra Ecclesiæ, habentes remissionem peccatorum, & sanctificemur ad novam vitam, ut spiritus concupiscat adversus carnem, & luctetur contra pravas concupiscentias, ne peccatum

regnet in mortali nostro corpore, sed magis magisq; retũdatur ac dometur, adeoq; qui foris est, noster homo corrũpatur, & is, qui intus est renovetur de die in diẽ *Gal. 5. v. 17. Tit. 3. v. 5. Act. 2. v. 38. c. 22. v. 16. Eph. 5. v. 26. Rom. 6. v. 3. Gal. 3. v. 26. 27. 1. Cor. 12. v. 13. Colos. 2. v. 11. 1. Pet. 3. v. 21. Gal. 5. v. 17. Rom. 6. v. 12. 2. Cor. 4. v. 16.* Vergit itaque Baptismus ad Dei honorem *1. Cor. 10. v. 31.* ad salutem nostram æternã Marc. *16. v. 16. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21.*

Anne & in Papatu sic docetur?

Non. Sed dicunt Papistæ, Baptismum I. omninò delere ac radicitus tollere omnem culpam & pœnam. Unde & concupiscentiam in baptizatis & renatis reliquam pro peccato non agnoscunt. II. Conferre ex opere operato gratiam & dona divina, quæ in homine baptizato verè & formaliter sint, quibus etiam verè & formaliter coram Deo justificetur. III. Imprimere indelebilem characterem, ob quem Baptismus reiterari non possit.

An igitur falsa hæc Pontificiorum est sententia?

Oppidò. Primum enim membrum διαῤῥήδην adversatur D. Paulo *Rom. 7.* ubi invictè demonstrat concupiscentiam in renatis reliquam verè peccatum esse *vers. 7. 17. 20. 23. 25.*

Et

Et hinc ipsis quotidie contra ipsam pugnandum est, & indesinenter orandum: Domine remitte nobis debita & peccata nostra, *Psal. 32. v. 6. Matth. 5. v. 12. Luc. 11. vers. 4. 1. Iohan. 1. vers. 8.*

Membrum secundum Deo virtutem propriam detrahit, & creaturæ adscribit. Justitiam item collocat in hominibus ipsis cùm tamen omnis nostra justitia in Christo fundata consistat, qui unus & solus pro peccatis nostris perfectissimè satisfecit, ut proinde nostra justificatio coram Deo nihil aliud sit, quàm remissio peccatorum *Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. Eph. 2.* ubi peccatoribus verè pœnitentibus justitia Christi per fidem imputatur, ut ita nos justificemur sine operibus legis per fidem *Rom. 3. v. 28.* Scripturæ membrum tertium omni testimonio ac fundamento caret, neque etiam inrer ipsos Pontificios de charactere convenit. Cur verò homo semel tantum non ultra baptizandus sit, pòst suo loco dicetur.

Quid docent Calviniani de virtute fructu & efficacia Baptismi?

Valdè affines in hoc argumento sunt Anabaptistis. Non enim admittunt, quòd Baptismus remissionem peccatorum operetur, vereq; lavacrum regenerationis sit, sed tantùm signum regenerationis esse dicunt: cum infantes fidelium parentum ab utero sancti sint,

& in fœdere contineantur; quod per Baptismum significetur & confirmetur. Qua de re vide *Collat. prior. doctrina Zvvingl. cum Aug. Confess. th. 26. membro 6. & seqq.*

Quomodo error iste refellitur?

Ex omnibus istis Scripturæ testimoniis, paulò antè allegatis. Et notum est cuivis, id quod de carne notum est, carnem esse, *Ioh. 3. v. 6.* nos omnes esse naturâ filios iræ, *Eph. 2. v. 3* in peccatis conceptos & natos, *Psal. 51.* nos omnes peccasse, & egere gloriâ Dei, *Roman. 3.* Hinc Adamus protoplastes post lapsum, quâvis per antiquissimam promissionem Evangelicam ad Deum conversus esset, genuit tamen filium secundùm suam peccatis infectam, non secundum divinam, juxta quam creatus erat, *Gen. 1. v. 27.* sed eam per peccatū amiserat) imaginem. Ac proinde Calviniani universa ista Scripturæ dicta, quæ de Baptismi virtute loquuntur, secus, quàm verba sonant, interpretari coguntur: quod neutiquam tolerandum est, cùm hac ratione fundamentum fidei nostræ in solidum tollatur ac subruatur.

Quo-

Quoniam Christianus quivis semel tantùm in vitâ baptizatur, quæritur, utrum si postidea peccârit, Deumq; peccatis suis offenderit, Baptismo suo erigere & consolari sese possit?

Extendit se Baptismi efficacia per totam hominis vitam: potestq; homo & debet subinde ex eo solidas adversus tentationes quasvis cõsolationes petere. Est enim Baptismus fœdus seu pactum Dei *1. Pet. 3. v. 21.* quod respectu Dei est ἀμεταμέλητον. *Rom. 11.* quod etiam, si homines istud transgressi, atque Deo aversi, per pœnitentiam tamen ad eum reversi fuerint, irritum non redditur, *Rom. 3. v. 3. 2. Tim. 2. v. 13.* Unde ipse Deus in suo verbo lapsos peccatores ad se vocat, & ad istud pactum reverti jubet. *Ierem. 3. v. 12.* tanquam ad fundamentum nostræ hæreditatis *Tit. 3. v. 7.* Id quod exempla sanctorum quorumvis manifestò comprobant, qui à peccatis resurgentes recurrerunt, ad promissionem gratiæ in Baptismo exhibitæ, collatæ & obsignatæ. Sic & Petrus ipse à lapsu gravissimo erectus tam de suo, quàm Christianorum omnium Baptismo dicit: Baptisma nos salvat *1. Pet. 3. v. 21.* Et D. Paulus Galatas, postquam satis ob peccata ipsos increpuerat, ad meditationem Baptismi deducit *Gal. 3. v. 27.* sicut & Corinthios, non uno peccati genere contaminatos *1. Cor. 6. v. 11.* idque

eo fine, ut Christo, cui in Baptismo inserti, vera fide constanter in posterum adhæreant, salviqúe fiant. Pari modo, quo sancti V.T. consolationes ex circumcisione petivêre, ut Jonathan *1. Sam. 4. v. 6.* & David *1. Sam. 18. v. 26. 36.* Unde Apostolus circumcisionem vocat sigillum justitiæ fidei *Rom. 4. v. 11.* Et scriptura de effectu Baptismi loquens utitur & præsenti tempore, & præterito & futuro. Baptismus nos salvat in præsenti *1. Pet. 3. v. 21.* Salvavit nos per lavacrum regenerationis, in præterito *Tit. 3. v. 5.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, in futuro, *Marc. 16. v. 16.* Per Christi namque sanguinem non præterita tantùm peccata, sed in genere omnia totius mundi peccata sunt expiata, *1. Ioh. 1. v. 7. cap. 2. v. 2.* Et quis ita desipiat, ut Christianum lapsum, sed à lapsu resurgentem habere velit pro homine non baptizato?

Atque hac ratione istorũ causa patrociniũ inveniret, qui Baptismum ad ultimũ vitæ terminum differunt. Id quod nemo pius & cordatus Christianus adseret.

Sed de his satis. Nunc dic quinam sint baptizandi?

Nulla creatura alia, cujuscunq; ea nominis fuerit, quàm solus homo, isque vivus. Pro hominibus enim instituta sunt Sacramenta: & Apostoli secuti mandatum Christi, tantũ homines,

nes, nec quidpiam aliud baptizarunt. *Matt. 28. Act. 2. 8. &c.* Neque finis & effectus, Baptismi ulli alii convenire potest, quàm hominibus, pro quibus Christus mortuus est. Sicut in V. T. soli etiam homines, non omnes tamen, sed masculi, solùm sunt circumcisi. Quodcunque igitur non est verus naturalis & vivus homo, illud neque potest neque debet baptizari. Et mera superstitio est anicularum quarundam, baptizandorum infantium fascias certas quasdam res involventium, ut unâ cum infante baptizentur. Infans enim solus baptizatur non fascia, aut induvia, vel alia adjuncta externa.

Quod si mulier gravida baptizetur, an dici etiam potest, quòd fœtus quem in utero gerit, baptizatus sit?

Non potest. Quilibet enim pro se & suâ persona baptismum suscipit non alter pro altero. Sicut in sacra cœnâ quilibet pro se (non pro alius) accipit & manducat unâ cum panè benedicto corpus Christi, & bibit una cum calice benedicto sanguinem Christi. In usu enim sacramentorum applicatio fit ad singulos sacramento utentes. Et potest Ecclesiæ minister uno actu non plures, sed unum tantùm, hominem baptizare, secundùm illud,

quod ait. Ego baptizo te, in numero singulari, non verò, Ego baptizo vos in numero plurali. Baptizato autem primo baptizat secundum & baptizato secundo baptizat tertium & ita deinceps.

Suntné omnes homines baptizandi, an verò aliqui duntaxat?

Quod voluntatem Dei attinet, certum est, quemadmodum Deus seriò vult ut omnes & singuli pœnitentiam agant, Evangelium audiant & in Christum credant: ita etiam velle ipsum seriò, ut omnes homines baptizentur, intellige eo ordine & modo, quem ipse in verbo suo præscripsit, quemque Apostoli in praxi suâ accuratè & diligenter observarunt.

Quinam verò est ordo & modus ille?

Ante omnia Evangelii instituetur prædicatio. Qui itaque inter auditores adulros Evangelii doctrinæ astipulatur, ille baptizabitur. Et si paterfamiliâs fuerit, una cum illo etiâ liberi, quamvis adhuc in ætate sint infantili, baptizabuntur, id quod factum esse ex praxi primitivæ Ecclesiæ manifestè deprehenditur. Si verò homo adultus Evangelium spernat, & in Christum credere nolit, ad Baptismum admittendus non est.

Inclu-

Include mihi hanc rem certis quibusdam regulis, quas quivis intelligere valeat?

I. *De adultis.* Omnes & soli isti adulti homines, qui de Christo prius ex Evangelio instituti, & Christianam fidem professi sunt, baptizari debent, ex mandato Christi, & praxi Apostolorum, *Act. 2. v. 38. c. 8. v. 12. 37. c. 10. v. 44. 47. c. 19. v. 4. 5.*

II. *De infantibus*: Omnes & soli infantes Christianorum sunt baptizandi.

Quos vocas infantes Christianorum?

Quorum parentes sunt professionis Christianæ, si non uterque, alteruter tamen vel pater vel mater. Neque obstat, licèt parentes prius fuerint Ethnici & gentiles, inque gentilismo liberos genuerint, & postea demum ad fidem Christianam conversi fuerint. Immò & illos Christianorum filios nomino, qui à gentilibus nati in Christianorum potestatem & jurisdictionem veniunt, & ut filii ab illis suscipiuntur & tractantur.

Quia omnes homines in peccatis nati & naturâ filii iræ sunt, quæro unde illud sit discrimen?

Discrimen hoc solidum in Scripturis habet fundamentum. In V. enim T. Judæi circum-

cisi accuratè distinguebantur à gentilibus non circumcisis *Gen. 17.* Et discernit D. Petrus *Act. 2. vers. 39. & 3. ver. 35.* filios pacti ab illis qui sunt extra. D. Paulus vocat gentes incredulas extraneas, abalienatas à republica Israelis, & hospites testamentorum promissionis: fideles verò appellat ciues sanctorum & domesticos Dei *Ephes. 2. vers. 12. 13. 19.* Sic in *1. Corinth. 6. ver. 12.* de quibusdam dicitur, quòd sotis sint, de quibusdam verò, quòd intus. Et inprimis discrimen hoc clarissimum est ex *1. Corinth. 7. vers. 14.* in qua liberi quidam immundi, cæteri verò sancti vocantur. Sanctificatus est, inquit Paulus, maritus infidelis per vxorem, & sanctificata est vxor infidelis per virum. Alioqui nempe liberi vestri impuri essent, nunc autem sancti sunt.

Quæ est ista sanctitas?

Non est interna ac spiritualis, quippe quæ in infidelem cadere non potest, neque merè civilis, qua liberi legitimè nati à spuriis discernuntur. Nam & extra Ecclesiam talis reperitur inter saniores Ethnicos. Sed est sanctitas Ecclesiastica, per quam liberi ex alterutro, vel vtroque parente christiano prognati aditum habent ad Ecclesiam, vt in illa baptizari, eiusq; mem-

membra fieri possint. Veluti in veteri Testamento discrimen erat inter animalia munda, & immunda, ex quibus illa licebat in sacrificiis offerre, hæc verò non. Vide *Levit.* Et hæc est D. Pauli sententia. Si inter duos coniuges, alter gentilem, alter Christianam religionem profiteatur, quòd tum liberi ob vnum è parentibus gentili religioni addictum non arceri debeat, sed potius propter alterum parentem fidelem & christianum ius & aditum habeat ad Ecclesiam, adeoque & ad Baptismum.

In veteri Testamento puelli tantùm circumcidebantur. Ergóne & puelli tantùm exclusis fœmellis baptizandi?

Circumcisio peculiarem habet Dei ordinationem, ita vt solis quidem masculis administrari debeat, sed tamen vt fructus illius se porrigat ad semen Abrahæ, sub quo etiam fœmellæ comprehensæ, vti *Genes. 17.* videre est. Vnde & mulieres solatium ex illa hauserunt, *Iudith 9. versicul. 18.* & pro circumcisis habitæ sunt, sic vt ipsis agnum paschalem cum circumcisis masculis com-

comedere licuerit. *Exod. 12. v. 48. & 16.* Vide etiam & expende *Levit. 12.* legem datã puerperis. Eodem modo & Baptismus suam habet ordinationem, ubi Christus in genere (secundùm præmonstratum ordinem) baptizari jussit indiscretè & mares & fœminas. Et sunt in medio exempla clarissima *Act. 8. v. 12.* Et baptizabantur viri ac mulieres. Et *Act. 16. v. 15* baptizata est Lydia (πρφυροπώλις) & domus ejus. Hinc Paulus inquit *Gal. 3. v. 27. 28.* Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, neque masculus neque fœmina. Omnes autem vos unum estis in Christo Jesu.

Potéstne Pædobaptismus *ex sacris literis stabiliri ac demonstrari?*

Potest utique, & non uno, sed variis modis.

Recita mihi nonnullos?

I. Confirmatur ex expresso Christi mandato, *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Quod mandatum intelligere melius non possumus, quàm si respiciamus praxin Apostolorum, ex qua, ipsos integras sæpe familias baptizâsse deprehendimus. Ubi nullum vestigium monstrari potest ullius inter infantes & adultos observati discriminis. Et quanquam non

non habeamus expressum testimonium, in quo habeatur infantes etiam in istis familiis fuisse, hoc tamen nobis sufficit, quod, dum parentes fidei Christianæ sese addixêre, integra iplorum familia baptizata, & infantes nullatenus excluſi fuerint, ut de quibus Christus ipse dicat *Matth. 18.* Non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Cùm igitur Deus mediatè nos salvare velit, nec verò aliud salutis medium pro infantibus ordinârit præter Baptismum, clarum ac manifestum est, quòd Deus infantes baptizari velit.

Da secundum argumentum?

II. Sumitur ex divinis promissionibus: Ego, inquit Deus ad Abrahamum, *Gen. 17. v. 7.* ero Deus tuus & seminis tui post te: non absolutè & simpliciter, sed eo pacto, & tùm, cũ omne masculinum ex vobis circumcisum fuerit *v. 10.* Hanc promissionem D. Petrus in N. T. applicat ad Baptismum, cùm *Act. 2. v. 39.* ad auditores inquit, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim facta est promissio & filiis vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster. Et *Actor. 3. v. 25.* Vos estis

filii

filii Prophetarum & Testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros.

Ex quo tales Syllogismus formari potest. Quibuscunque facta est diuina promissio, illi debent baptizari. Vobis auditoribus meis, inquit Petrus, & filiis vestris facta est promissio diuina. *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Quare vos auditores mei & liberi vestri debetis baptizari. Id quod vna praxis Apostolorum ostendit dum integras familias baptizârunt.

Cedo tertium argumentum?

III. Argumentum sumitur ex blanda inuitatione & vocatione Christi. *Matth. 19. ver. 13. Marc. 10. v. 14. Luc. 18. ver. 16.* Sinite parvulos ad me venire, & ne prohibueritis eos; talium enim est regnum cœlorum. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et vtitur D. Lucas voce Græca βρέφη, quæ propriè notat *infantes.* Neque dubium est, paruulos illos Iudæorum fuisse circumcisos. *Ex quo tale argumentum formamus.*

Quos ipse Christus, vigore diuinæ promissionis ad sese vocat, & quibus regnum Dei pollicetur, illi non sunt à Christo arcendi.

Atqui *infantes* Christus vigore diuinæ promissionis ad sese vocat, ipsisque regnum Dei pollicetur.

Quare

Quare *infantes* non sunt à Christo arcendi.

Arcentur autem à Christo infantes, quando ipsis negatur Baptismus, sicut *Gen. 17. v. 14.* de circumcisione dicitur: Masculus cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactũ meum irritum fecit. Ita & Christus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum, *Ioh 3. v. 5.*

Quò non incongruè referri potest dictum Christi, *Matt. 21. v. 16. Psal. 8. v 3.* Ex ore infantium & lactantium perfecisti ubi laudem. Ubi extra dubium infantes intelliguntur, qui Ecclesiæ per ordinaria Sacramenta inserti sunt, in quorum animis Spiritus S. efficax est, ut filialem fiduciam in Deo ponant, & modo soli Deo cognito ipsum laudent ac celebrent, & postea, dum fari didicerunt, ore ipsum confiteantur, clamantes: Hosianna Filio David, & Abba Pater. Qui fructus sunt circumcisionis in Veteri, & Baptismi in Novo Testamento.

Nostine plura fundamenta, quibus Pædobaptismum stabilias?

IV. Notum est, quòd Sacramenta sint bona totius Ecclesiæ, seruato tamen ordine diuinitus instituto. Cùm igitur Baptismus sit introitus in Ecclesiam, & lauacrum regenerationis, non sine sacrilegio infantibus, quibus maximè necessarius, denegari potest.

Dic

Dic quintum fundamentum?

Quicquid ex carne natum est, caro est, & non potest introire in regnum Dei nisi renascatur ex aquâ & Spiritu, inquit Christus *Ioh. 3. v. 5. 6.* Jam infantes sunt caro de carne nati in peccatis concepti, & naturâ filii iræ *Psal. 51. v. 7. Eph. 2. v. 3.* Quare non possunt in regnum Dei introire, nisi baptizentur & ita ex aqua & Spiritu renascantur. Nam quòd quidam obiciunt locum hunc non loqui de Baptismo, mera petulantia est. Nec quidpiam agunt Anabaptistæ, quando ogganniunt Christum ibi de adultis loqui, qualis fuit Nicodemus. Nam axioma Christi generale est, neque ullam admittit exceptionem: Quicquid ex carne nascitur, caro est.

Plurane supersunt fundamenta?

VI. Clarum & manifestum est, quòd finis fructus & effectus Baptismi infantibus & necessarius sit, & applicari ex Dei gratia illis possit: ut nimirum, quia filii iræ sunt, regenerentur, & in filios Dei & hæreditatem vitæ æternæ cooptentur. Quis itaque tam protervus erit, qui media salutis denegare illis velit, quibus Deus ipse salutem æternam promisit, & in quorum gratiam Baptismum instituit? *Act. 2. v. 39.*

Quòd-

Quodnam est septimum argumentum quo βεβαιοῦται confirmatur?

Reperiuntur in V. T. typi quidam Baptismi, qui rectissimè huc adaptari possunt. Per mare rubrum, & postea etiam per Jordanem non tantùm adultiores Israëlitæ transiêre, sed etjam liberi *1. Cor. 10. v. 2.* Et oportebat omnes eos, qui à diluvio servari volebant, in arcam Noæ ingredi: Ita qui ingredi volunt regnum Dei baptizari oportet, *1. Pet. 3. v. 21. Joh. 3. v. 5.* Et quoniam in loco Circumcisionis Baptismus in Novo Testamento institutus est, *Colos. 2. v. 11. 12.* quemadmodum infantuli Judaici in infantia circumcidebantur, ita negare nemo potest pium & Christianũ esse, si infantes in N. T. juxta institutionem Christi baptizentur. Et quamvis in Baptismo non sit expressus dies octavus, sicut in Circumcisionis institutione factum: omnia tamen & singula in Baptismo inveniuntur, propter quæ Baptismus infantibus necessariò sit administrandus: Dei nimirum mandatum & promissio, Dei item pactum, qualitas infantium, & effectus hujus Sacramenti.

Produc & octavum, si habes argumentum?

Produco exempla Apostolorum, quæ Pædobaptismum satis superque comprobant. Illi

enim mandato Christi fideliter ac diligenter obtecuti, totas familias baptizârunt, sine ullo discrimine adultorum & infantum, *Actor. 16.* Lydia baptizatur una cum domo sua, *vers. 15.* Silas carceris præfectus cum suis omnibus, *v. 33. Act. 18. vers. 8.* Crispus cum tota domo sua. Multiq; ex Corinthiis fidem Christianam recipientes, baptizati sunt. D. Paulus baptizavit familiam Stephanæ, *1. Cor. 1. v. 16.* Ubi infantes excepti esse nulla ratione possunt. Petrus enim hoc utitur argumento, *Act. 2.* quod promissio non adultis solum Judæis facta sit, sed etiam filiis eorum. Et exinde concludit Baptismum ab istis omnibus esse suscipiendu, pront argumento secundo demonstratum est. Accedit, quod Pædobaptismus inde ab Apostolorum tempore ad hunc usque diem in Ecclesia viguerit.

At multa habent Anabaptistæ, quæ contra Pædobaptismum objiciant: quorum solidam refutationem audire lubido esset; Et primo quidem dicunt nullum de baptizandis infantibus in sacris literis extare vel mandatum, vel exemplum?

Apertissimum hoc est mendacium, & contrarium liquido jam demonstratum est.

Secundò obiiciunt infantes esse innocentes & sine peccato, esse per passionem Christi Deo expiatos, ac proinde non opus habere Baptismo?

Omnes homines à parentibus peccatoribus prognatos, peccatores esse, in peccatis cõcipi & nasci, naturâ esse filios iræ, & reos mortis & æternæ damnationis ex Scripturis luce meridianâ clarius est. *Gen. 6. ver. 3. c. 8. vers. 21. Psal. 51. vers. 6. Ioh. 3. ver. 6. Rom. 3. ver. 23. Eph. 2. ver. 3.* &c. Et quamvis Christus sanctissima sua obedientia, & innocentissima passione & morte pro omnibus hominibus perfectissimè satisfecerit, eosque cœlesti Patri reconciliaverit. Istud tamen meritum per media ordinaria hominibus proponi & applicari oportet, aliàs nihil omnino ipsis proderit. Institutus igitur est Baptismus ideo, ut per ipsum virtute mortis & resurrectionis Christi nos regeneremur & renovemur, ut suprà ostensum est.

Tertiò dicunt, Christum jussisse Apostolos, ut priùs Evangelium docerent, & postea baptizarent: Unde inferunt, neminem esse baptizandum, nisi prius Evangelii doctrinam didicerit

Hoc Christi mandatum apud Matthæum *c. 28. v. 19.* commodius & meliùs explicare nõ possumus, quàm si respiciamus praxin Apo-

stolorum qui istud Christi mandatum fideliter executi sunt. Hi in omnes orbis orbitas profecti gentilibus Evangelium prædicabant. Qui Evangelio credebant, baptizabantur, non parentes solùm & domini, sed integrâ etiam ipsorum familia, quod aliquot exemplis suprà demonstratum est. Non secus atque olim in V. T. ubi in institutione Circumcisionis prius verbum & mandatum Dei propositum, postea Abrahamus, & omnes domestici ejus masculini generis tam vernaculi, quàm empti & alienigenæ circumcisi sunt *Genes. 17. vers. ult.* Deinceps apud Judæos puelli circumcisi sunt, sicut nunc in V. T. infantes baptizantur. Nihil igitur hoc Christi testimonium facit pro Anabaptistis.

Quartò objiciunt exemplum Christi, qui non in infantia, sed in adultâ demum ætate anno ætatis trigesimo Baptismum susceperit?

Circumcisus autem est octavo à nativitate sua die. *Luc. 21. vers. 21.* quia tum Baptismus nondum erat institutus. Et si omnes homines anno ætatis suæ trigesimo demùm baptizandi erunt, plurimi sanè sine Baptismo decedent. Quod tempus ne ipsi quidem Anabaptistæ observant. Et enorme inter Christum & alios homines discrimen est. Peculiares item causæ sunt, cur Christus à Johanne baptizari voluerit,

rit, quæ aliâs nulli adscribi & adsignari possunt.

Vana igitur & futilis hæc Anabaptistarum objectio.

Quintò dicunt infantes non intelligere quid sit cum Deo pactum in Baptismo pangere; expectandum igitur esse, usque dum plenum rationis usum indepti fœderis istius rationem percipere valeant?

In Circumcisione similiter fœdus sanciebatur inter Deum & circumcisos: Deinde puelli octiduani circumcidebantur *Gen. 17.* Et licet usus rationis in infantibus non sentiatur, Spiritus Sanctus tamen & potest, & vult per ordinaria sua media fidem in illis accendere, & est Christus ipsorum sponsor & advocatus, cujus hæc dulcissima vox est: Sinite parvulos ad me venire, nec prohibueritis eos, talium enim est regnum cœlorum. *Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18.* Et fieri in humanis etiam quandoque solet, ut parentes fœdera sanciant, in quibus infantes & posteri quoque comprehenduntur. Sic igitur nec hîc quidpiam Anabaptistæ obtinere possunt.

Sextò sic argutantur Catabaptistæ. Sacramentum sine fide est inanis cæremonia. Infantes non habent fidem.

Ergò Baptismus ipsis est inanis ceremonia, ac proinde nihil eis prodest.

Accuratè distinguendum inter Essentiam Sacramenti, & usum ejus sive fructum. Etenim quando homo adultus baptizatur, qui fidem non habet, verus nihilominus est ac manet Baptismus (adeò, ut si postea per auditum concionum Evangelicarum fides in eo excitetur, non opus habeat denuò baptizari) sed nihil ipsi prodest, quamdiu fide caret. Quare Christus utrumque conjungit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit (quantum vis baptizetur) condemnabitur. *Marc. 16. versic. 16.* Quanquam igitur infantes fidem non habeant ante Baptismum, ipse tamen Baptismus organum est & instrumentum, per quod Spiritus Sanctus fidem in ipsis accendit, ut verè regenerentur, à peccatis emundentur, & Christo ejusque Ecclesiæ inserantur, secundum testimonia clarissima, *Ioh. 3. versic. 5. 1. Ioh. 1. ver. 7. Ephes. 5. versic. 26. Tit. 3. versic. 5. Galat. 3. vers. 27. Rom. 6. vers. 4. 1. Corinth. 12. ver. 13. 27. Eph. 4. vers. 22. 1. Pet. 3. v. 21.*

Ex quibus ἐφθαλμοφανεῶς videre est, quòd Catabaptistarum doctrina perniciosa, & verbo divino è diametro contraria, ac proinde summo studio vitanda ac fugienda sit.

Sed

Sed absurdum hoc multis videtur, infantes baptizatos fidem habere: illudque vi, quanta possunt, maxima oppugnatum eunt: rationes igitur perspicuas ex Scripturis audire cupio, quibus probetur in infantes etiam cadere fidem?

Probatur *I.* ex testimoniis manifestissimis, *Matth.18.ver.6. Marc.9.ver.42.cap.10.vers.13. 14.15. Luc.18. vers.15.16.17.* Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de collo eius, & demergatur in profundum maris. Et jubet ibi Christus adultos converti, & fieri, sicut parvulos, quia aliâs in regnum cœlorum ingredi non possint. Absurdissimum verò nunc esset, si isti, qui credunt, similes fierent deberent eis, qui non credunt. Per fidem enim solam justificamur, *Rom.3.ver.28.* Et qui fidem non habet, Deo placere non potest *Heb.11.ver.6.* Quod ex fide non est, peccatum est, *Rom.14.ver.ult.* Christi igitur sententiâ est, debere parentes infantibus circumcisis in Veteri Testamento, & baptizatis in Novo similes fieri in simplicitate, fidei sinceritate, filiali fiducia, & quæ hinc oritur, vera humilitate, & virtutibus aliis.

II. Attribuuntur baptizatis infantibus in Scripturis fidei proprietates, ut *1.Joh.2.ver.12.*

Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata vestra propter nomen ejus. Et v.14. Scribo vobis, pueruli, quoniam nostis patrem. Sine fide autem nemo remissionē peccatorum habere, & patrem novisse potest. Ita 1.Cor.16.v.22. legitur: Si quis non diligit Dominum Jesum Christum, sit anathema maharammotha. Jam verò baptizati infantes non sunt anathema mahatammotha, sed Christo grati & accepti, c Matth.28.v.3. Ergo sequitur, quòd Christum diligant. Qui autem Christum diligit, diligetur à patre & Christo, ita ut venturi sint ad eum, & mansionem apud eum facturi, sicut ipse Christus testatur, Ioh.14.v.21.23. Per fidem autem Christus habitat in cordibus nostris, Eph.3.v.17.

III. Effectus fidei infantibus baptizatis attribuuntur, ut: quòd in gratia Dei sint, quod ipsorum sit regnum cœlorum, quòd vitam æternam habeant: Estque hoc Pauli testimonium clarum & immotum Gal.3.v.26. Estis filii Dei per fidem in Christo Jesu. Nam quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Denique certum est Sacramenta N.T. non minoris esse virtutis & efficaciæ, quàm fuêre V.T. Sacramenta. Jam Circumcisio à Paulo vocatur signaculum justitiæ fidei Rom.4.v.11. fatendum igitur est & Baptismum signaculum esse

esse justitiæ fidei. Ac proinde in infantibus baptizatis esse justitiam fidei, cujus sigillum est Baptismus.

Ex quibus satis luculenter apparet, infantes baptizatos verè in Christum credere & filiali fiducia ei adhærere, inque ipso remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam habere.

Fit autem non rarò ut cum annis baptizatorum infantum crescentibus crescat etiam malitia: quod profectò fidei non veræ evidens indicium est?

Hoc non sequitur. Potest enim & adultus Christianus ex neglectu divini verbi grandia & enormia flagitia ac scelera patrare, sicut David adulterium & homicidium patravit. *2. Sam. 11.*

Sunt igitur liberi in timore Domini educandi, sunt ad pietatem assuefaciendi, in Catechismo informandi & ab omni peccandi occasione arcendi. Fides enim quotidie verbi divini pabulo q. pascenda & roboranda est. Hoc ubi non fit, mirum haud est, quin natura depravata, ad peccandum promptissima, vires suas exerat & hominem ad peccata incitet atque instiget.

Quid statuendum est de infantibus sine Baptismo decedentibus?

Distinctè heic respondendum est.

I. Infantes extra Ecclesiam natos, Dei judicio commendamus *1. Cor. 5. v. 12.*

II. Si infantes culpâ parentum Baptismo priventur, parentibus gravissima Deo ratio reddenda est, juxta illud *Gen. 17.* Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Et *Luc. 7. v. 30.* Christus inquit, Pharisæos & Scribas renuentes à Johanne baptizari, spreviſſe consilium Dei adversus semetipsos.

III. Quando infantes summo aliquo necessitatis casu exclusi baptizari non potuerunt, vel etiam in utero materno extinguuntur: nõ dubitabunt pii parentes & suas & totius Ecclesiæ preces in publica Litania ad Deum fusas, quibus prægnantes & ipsarum fœtus divinæ tutelæ commendari solent, certò exauditas esse: neque Deum ad hunc, quem præscripsit, ordinem alligatum esse, quò minus præter illum salvare jussit juxta axioma πολυθρύλλητον. Non privatio, sed contemptus Sacramenti damnat.

IV. Fugienda est profana illa fanaticorum oratio. Si electus fuerit talis infans, salvabitur: si re-

si reprobus damnabitur. De quo suo in loco plura dicemus.

V. Nec probanda eorum est sententia, qui infantibus sine Baptismo decedentibus locum peculiarem, quem limbum vocant, attribuũt. Nam inter Deum & Satanam, inter cœlum & infernum, inter vitam & mortem, inter salvationem & damnationem, inter credentes & non credentes, nullum in Scripturis datur medium.

Quid iudicas de infantibus expositiis; sunne baptizandi nec ne?

Summo studio inquirendum est, an, ubi & à quo baptizati, & quibus nominibus insigniti fuerint. Si ex nulla occasione post diligentem & accuratam inquisitionem, collati Baptismatis certitudo deprehendi potest, decet Christianum Magistratum eo laborare, quò sacro Baptismi lavacro tingantur. Devenerunt enim in plenariam Magistratus potestatem ac jurisdictionem, qui piam ipsorum curant suscipere meritò debet.

Quæ ceremoniæ in Baptismo adhiberi debent?

Omne quod impium est & superstitiosum fugiendũ, talesq; ceremoniæ adhibẽdæ sunt, quæ inserviunt ad ædificationem Christianorum,

norum. Neque Baptismus administrari melius potest quàm si observetur simplicitas illa in verbis institutionis præscripta & ab Apostolis ipsis usurpata.

Quomodo igitur Baptismus in vestris Ecclesiis administratur?

Exordium fit ab adhortatione ad auditores præsentes, de miseria generis humani, in quam per & propter peccatum prolapsi sumus: ex qua nisi per Christum Jesum Dominum ac salvatorem nostrum liberari non possimus, & quòd in Baptismo & per ipsum nobis beneficium illud conferatur & obsignetur.

Sequitur deinde precatio ad Deum quam excipit Oratio Dominica. Et præcipua quædam testimonia de S. Baptismo ex Evangelistis præleguntur. His peractis compellantur susceptores, propatres, matrini sive matrinæ, ut infantulo Christianum nomen imponant, ejusque nomine Satanæ, mundo & impietati abrenuntient. Deinde Symbolum Apostolicum ipsis prælegitur, & interrogantur, utrum recipere ipsum & confiteri & in illa confessione Baptismum petere velint? Cum annuerint infans ab Ecclesiæ pastore, expresso nomine trinâ adspersione aquæ in nomine Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti bâptizatur. Hinc sequitur benedictio, & commonefactio

factio ad parentes & propatres, gratiarum actio ad Deum cum devota invocatione Dei pro ulteriori benedictione & incremento: Et tandem totus actus oratione ac benedictione clauditur.

Sed ubi linquis Exorcismum? an non ille in Ecclesiis vestris in usu est?

Usus Exorcismi est antiquissimus, sicut ex historiis Ecclesiasticis luculentum est. Et ubi adhibetur sine superstitione & coactionis necessitate, ipsum ut ceremoniam Ecclesiasticã liberè retinemus, quò cum multæ piæ & utiles commonefactiones observari possunt. Nos, postquam longo abhinc tempore intermissus est de novo non introducimus: Sed alia via procedimus, & misertimam infantum conditionem, quippe qui in peccatis concepti & nati & ideò potestati Diaboli & æternæ damnationi subjecti sunt, ex divinis literis evidenter demonstramus. Neque probare possumus, si clandestini quidam Schvvetmeri & homines fanatici peccatum Originale abnegantes & liberos parentum fidelium ab utero sanctos esse docentes, ob hanc causam Exorcismum rejiciant ne falsa ipsorum doctrina manifestetur ac refutetur. In gratiam illorũ fanaticorum sive manifestorum sive occulto

um

rum nihil quicquam moliri, neque Exorcismum abrogare debemus: Siquidem libertatē illi Christianam violare, suamque ἐτεροδοξίαν propugnare isthac ratione satagunt. Si verò doctrina de peccato originis integra salva ac pura conservetur, perinde est, sive adhibeatur Exorcismus, sive omittatur. Ita enim in classe rerum mediarum est & ἀδιάφορον, qui & usurpari & intermitti potest.

Estne compatrum vel patrinorum vel susceptorum usus necessarius?

Nullum hac de re expressum mandatum aut exemplum in Scripturis extat: Consuetudo tamen utilis est ac laudabilis, cùm infantibus baptizatis sponsores & compatres eliguntur, qui ceu parentes spirituales unà cum parentibus corporalibus emolumentum & cōmodum infantum promoveant & in pietate eos educent, erudiant, & ad honestatem assuefaciant. Et in primis etiam accepti baptismatis testes sint.

Probandumne est, quòd patrini loco infantum respondent: Credo in Deum *patrem*?

Probandum utiq; est, quanquā alii improbent, & vehementer oppugnent, ea ducti ratione, quòd infantes credere non possint, de quo

de quo suprà fusè actum. Quia enim Christus, cœlestis illa veritas, pro infantibus sibi adductis respondit, ac disertè testatus est ipsorum esse cœlorum, neque quempiam ingredi posse nisi convertatur, & fiat sicut parvuli *Matth. 18. Marc. 10. Luc. 17.* Ideò illud ipsum responsione patrinorum. q. repetitur & in memoriam reducitur. Accuratè igitur & pressè hanc consuetudinem observabimus, nec falsis accusationibus illam traduci, vel ex Ecclesia eliminari patiemur. Tales autem sponsores sive patrini eligendi sunt, de quibus certò speratè possumus, quòd infantes non ad fallam doctrinam & vitam inhonestam, sed ad veram pietatem diligenter ac sedulò sint assuefacturi. Atque adeo præposterè & imprudenter agunt illi, qui homines divetiæ religioni ὁλοψύχως addictos testes Baptismi deligunt: ex quo tandem nihil boni provenire adolet.

Cur in Baptismo infantibus nomina imponuntur?

Factum hoc etiam est in V. T. in circumcisione, quod cognoscere datur ex *Luc. 1. vers. 60. 63. & Luc. 2. vers. 21.* Et valdè consolatorium est. Admonemur enim

sic,

sic, quòd illo ipso nomine in Baptismo nobis indito, inscripti sumus in cœlestium civium catalogum, ut hæredes Dei & cohæredes Christi. Et subinde cogitabimus, quòd Deo in Baptismo pollitici simus, nos masculè contra Diabolum, peccatum, mundum & corruptam nostram carnem esse pugnaturos: quodque Deus nobis promiserit, se patrem nostrũ futurum, suoque auxilio nobis clementer adfuturum, ut tandem in Christo & per Christũ vincamus ac triumphemus. Vide de his Epistolam Pauli ad *Rom. c. 6. & 8.*

Quod perpendere & examinare secum quilibet Christianus debet quoties nomen suum vel nominari audit, vel ipse nominat pingitve.

An & Baptismus ad certum tempus adstrictus est?

Non est. Atque hac in parte discrimen ostenditur inter circumcisionem quæ præcisè ad octavum diem alligata erat, & Baptismum, cui certum tempus non est definitum. Decet autem Christianos parentes primo quoque tempore sine longiori dilatione recens natos infantes, Deo, cujus donum sunt, offerre, ut per Baptismum in fœdus ipsius recipiãtur, regenerentur, Christo inseratur & membra Ecclesiæ cõstituantur. Et gravissima repo-

sce-

quorum culpâ & incuriâ liberi Baptismo fuerunt privati. Legitur quidem in historiis Ecclesiasticis, inventos fuisse quosdam homines, qui Baptismi perceptionem ad ultimum usq; vitæ finem distulerunt: Sed hoc valdè periculosum, atque ideò meritò abrogatum est.

An & certus locus deputatus est, in quo Baptismi administratio peragenda?

Optaverunt quidem nonnulli baptizari in Jordane, ubi Christus baptizatus est: Sed de illo non habemus expressum mandatum vel peculiarem promissionem. Attendenda igitur est Baptismi institutio, & diligenter videndum, ut ipsi in omnibus partibus satisfiat. Et nihil intererit, quo in loco Baptismus dispensetur. Decebit nihilominus nos ordinem illum strictè observare, & dare operam, ut, quantum quidem possibile est, Baptismus in Ecclesia in publico Christianorum cœtu administretur, & quidem post concionem vel institutionem Catecheticam. Si verò summus necessitatis casus intervenerit, ad ordinem illum non sumus alligati.

Sed quid illud est, quod Paulus scribit 1. Cor. 15. v. 29. *quosdam baptizatos fuisse* ὑπὲρ νεκρῶν?

Verba hæc diversè à diversis doctoribus exposita sunt. Sed nostra sententia est, voluisse quosdam baptizari ὑπὲρ νεκρῶν, super mortuos, vel super sepulchra mortuorum: ut hac ceremonia publicè testatam redderent fidem suam de articulo resurrectionis mortuorum, neque dubitent pro Christi gloriâ & veritate Evangelii mortem oppetere, & sanguinem suum profundere. Et testantur D. Paulus *Rom. 6. v. 3. & Petrus 1. epist. 3. vers. 21.* quod noster Baptismus fundatus sit in resurrectione Christi.

Potestne aut debet homo plus quàm semel baptizari?

Non potest. Mandatum enim Christi de hominibus baptizandis, nullam facit mentionē iterationis: neq; exempla sæpius baptizatorum in Scripturis divinis occurrūt. Et circumcisio quoque semel tantùm administrata fuit, in unoquoque masculo, non sæpius repetita. Neque causa excogitari potest, ob quam Baptismus in homine sit iterandus. Fœdus enim Dei, quod in Baptismo nobiscum pepigit, respectu Dei est ἀμεταμέλητον, constans, ratum & firmum. Quando igitur homo per peccata &

ta & transgressiones fœdus Dei labefactat, & à Deo sese avertit: non opus est, ut fœdus planè novum sanciatur, sed ut homo lapsus per veram pœnitentiam ad Deum convertatur, atque ad fœdus illud in Baptismo sancitum & Dei respectu inconcussè servatum, ex quo exciderat, revertatur. Sicut David post lapsum non de novo fuit circumcisus, *2. Sam. 12.* Et Corinthii *1. Corin. 6.* Et Galatæ, *Gal 3.* in errores & peccata prolapsi, non denuò baptizati leguntur, sed ad Baptismum priorem remittuntur, ut ex illo consolationem hauriant.

Quemadmodum igitur una tantùm est hominis generatio: ita etiam una tantùm ejus est regeneratio, & unum lavacrum regenerationis, quod iterari non debet. Unde D. Paulus *Eph. 4.* vocat unum Deum, unam fidem, & unum Baptisma, inter cœteras etiam ob hanc causam, quia in homine repeti non debet. Sicut enim Christus semel tantùm pro nobis mortuus est: ita etiam semel tantùm in mortem ejus baptizamur, *Roman. 6. 1. Petr. 3.* Et extendit se virtus atque efficacia Baptismi per totam hominis vitam, ut ita nulla vera causa adferri possit, ob quam Baptismus in homine sit iterandus.

Sed dicunt nonnulli Baptismum esse duplicem, unum externum, alterum internum?

Contrà D. Paulus unum Baptismum esse pronunciat, *Eph. 4. v. 5.* Et grandis est error, aquam solam pro externo Baptismo venditare, & internum Baptismum soli Spiritui Sancto adscribere velle. Quæ enim Deus verbo suo arctè copulavit, à nemine sunt divellẽda. Jam verò Deus in Baptismo arctè copulavit verbum institutionis cum externo elemento aquæ: Unde D. Paulus vocat lavacrum aquæ in verbo, *Eph. 5. v. 16.* & lavacrum regenerationis *Tit. 3. v. 5.* Et Christus testatur, nos ex aquâ & Spiritu renasci, *Joh. 3. v. 5.* Ergo præposterè illi agunt, qui ea, quæ Deus verbo suo conjunxit, malitiosè divellere ac separare conantur.

Sed tamen & ipsa circumcisio duplex statuitur, una carnis *secundùm literam, altera* Cordis *in spiritu* Gen. 17. Deut. 30. v. 6. Rom. 2. vers. 27. 28. 29.

Acceptamus & ipsi distinctionem inter Circumcisionem Carnis & circumcisionem cordis. Sed exinde non oritur geminum Sacramentum Circumcisionis, sed una est & manet Circumcisio, sicut *Gen. 17.* instituta est. Verùm spiritualis illa circumcisio cordis est fi-

est finis fructus & effectus Sacramentalis istiu Circumcisionis; Sicut regeneratio est finis & effectus Baptismi. Atque ita se rem habere demõstravit ipse D. Apostolus *Rom. 2. v. 25. & seqq.* Circumcisio quidem prodest, inquit, si legem observas. Agit igitur Paulus de salutari usu Circumcisionis, & disertè negat Circumcisionem Carnis (sine circumcisione spirituali) esse circumcisionem; circumcisionem nimirum salutarem. Alioquin enim manifestum est, circumcisionem carnis verum esse Sacramentum. Cùm verò non creditur divinus promissionibus, utilis illa ac salutaris non est.

DE

SACRA DOMINI COENA.

Quænam est fides & confessio tua de Sacrâ Domini Cœnâ?

CREDO & confiteor, summum esse illud mysterium, de quo ex ratione & sensibus humanis non judicandum, sed unico & solo DEI verbo, Sacramentum hoc instituentis.

Vbi inveniturinstitutio illa in verbo DEI?

Apud tres Evangelistas, *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & D. Apostolum Paulum 1. Cor. 10. & 11. capp.*

Annon & Johannis *6. c. de Cœna Domini agitur?*

Præclara illa vereque aurea Christi concio

Ioh.

Ioh.6. c. integrum annum antecessit institutionem sacræ Cœnæ, quod collatio Evangelistarum clarissimè ostendit: Et agit tantùm de spirituali manducatione Christi, quæ fit per fidem, quæ non minùs apud fideles in V.T. fuit, quàm apud nos in Novo; & fit tantùm ad salutem à solis fidelibus: ubi contrà Cœna Christi est solius Novi, non etiam Veteris Testamenti propria, & à dignis quidem ad salutem, ab indignis verò ad judicium accipitur, teste Paulo 1. *Cor. 11. cap.* Ex quibus manifestum est *Ioh.6.c.* institutionem S. Cœnæ nō haberi, verùm ibi spiritualem manducationem ac bibitionem corporis & sanguinis Christi, quæ solùm fit per fidem absque pane & vino, describi. Errant proinde, qui explicationem institutionis & substantiam S. Cœnæ ex *Ioh.6.c.* quærere & invenire volunt.

Quid igitur est S. Domini Cœna?

Ex ipsius Christi verbis ita definio.

Cœna Domini est vera veri corporis Christi cum pane benedicto & distributo manducatio, & veri sanguinis ejusdē cum vino bibitio: ad ipsius pro nobis mortui recordationē.

Quænam sunt partes substantiales huius Sacramenti?

Primò est cibus & potus, res nimirum gemina; una terrena, altera cœlestis.

Terrena est panis & vinum, verbo Dei ad usum hunc Sacramentalem sanctificata. Cœlestis est verum corpus Domini nostri Jesu Christi, pro nobis in mortem traditum, & verus ipsius sanguis in arâ crucis pro nobis effusus.

Deinde est Sacramentalis manducatio & bibitio, secundùm Christi institutionem. Edite, Bibite. Quò etiam refertur benedictio sive consecratio, vel gratiarum actio, qua hic panis & hoc vinum ad Sacramentalem usum destinatur, ut sit κοινωνία corporis & sanguinis Christi. Item δόσις & distributio, & λῆψις sive acceptio. Quinque enim sunt actus principales in S. cœna.

1. Acceptio panis & vini, & separatio à quovis alio communi pane & vino.

2. Benedictio, gratiarum actio, sive consecratio, nempe hujus panis & vini separati ad Sacramentalem usum destinatio.

3. Distributio inter communicantes.

4. λῆψις sive acceptio.

5. Manducatio & bibitio.

E quibus tres priores ad ministrum Sacramenta dispensantem: duo posteriores verò ad communicantes pertinent.

Cur

Cur omittis fractionem panis, quam tamen & Christus & Apostoli ipsius vsurparunt, suoq; exemplo primitivæ Ecclesiæ præscripserunt, adeò quidem ut absq; illa S. Cœna administrari non debeat?

Equidem Christum & discipulos, & Ecclesiam primitivam adhibuisse panem grandiorem in usu S. Cœnæ eumq́; in partes minutiores comminuisse & fregisse, ut inter cõmunicantes distribui possit, nos nunquam negavimus, sed largiter potius largimur. Immò si remotis erroribus ceremonia illa fractionis panis unanimi & universali consensu Ecclesiarum Augustanæ Confessioni addictarum rursus introduceretur, non repugnaremus, vel propter unum Christi exemplum, ut & illius imitatio hac in parte, quãtum potest, obse rvetur. Quia verò Zvvingliani & Calvinian fractionem panis tam calidè & validè propugnant, non propter distributionem benedicti panis inter communicantes (quæ non minus apud nos fit, quàm apud illos) sed propter analogiam, quam fingunt, Sacramentariam simplicioribus magis magisq́; insinuandam, & veram præsentiam, manducationem & bibitionem veri corporis & sanguinis Dominic cum pane & vino ex animis ipsorum tollendam: quem finem Αρτοκλασίας esse Pareus &

Marpurgenſes adſignare publicitus non verentur: ideò nemo cordatus Chriſtianus vitio nobis vertet, quod pro defenſione veritatis Evangelicæ, libertatem Chriſtianam accuratè obſervamus, neq; nos ſub jugum humanæ ſervitutis captivari permittimus.

Sed nihilominus repugnat ordinationi & exemplo Chriſti, fractionis panis in ſacra Cœna omiſſio?

Chriſtum expreſsè juſſiſſe, ut panis in ſacra Cœna in media actione in particulas digitis frangeretur, Evangeliſtæ non exprimunt, neque Calviniani probare poſſunt. Exemplum verò Chriſti, diſcipulorum & primitivæ Eccleſiæ longius extendi non poteſt, quam eò duntaxat, quoniam in Sacra Cœna panibus uſi ſunt grandioribus, ideò eos in particulas fregerunt, propter diſtributionem inter communicantes. Quod nullatenus nos impugnamus, ſed benè tolerare poſſumus, ſi adhuc hodieque uſurpetur, modò analogia illa Zvvingliana omittatur, cum qua neque Chriſto, neq; Apoſtolis, neque Eccleſiæ quicquam eſt commercii.

Cenſeſne igitur Fractionem panis ritum eſſe ἀδιάφορον?

Diſtinctè hîc reſpondeo. Si fractio panis

cò

eò dirigatur, ut per illam significetur, præfiguretur, & quasi in tragœdia repræsentetur mors & passio Christi, quò Calviniani illam dirigunt, expresè & disertè dico; Fractionem illam panis adumbrativam cum ipsa institutione Christi è diametro pugnare, ac proinde nec posse, nec debere in Ecclesia tolerari.

Eum enim in finem, & istam ob causam CHRISTVS, & postea ipsius discipuli, & Ecclesia panem non fregerunt: sed, ut dictum, unicè & solùm ideò, ut inter communicantes distribui possit: atque ita sit (non Zvvingliana præfiguratio vel adumbratio, sed) κοινωνία & communicatio corporis Christi, sicut Divus Paulus testatur, *1. Corinth. 10. versiculo 16.*

Explica hæc mihi aliquantò plenius?

Pari modo, quemadmodum Deus ipse mandavit pauperibus benefacere, & promisit largiter benefacta ista se recompensaturum: Et tamen, si quis eum in finem multas eleemosynas eroget, vt ab hominibus conspiciatur, indeque authoritatem apud illos sibi conciliet, aut ut per illas pro peccatis suis satisfacere, & cœlum promereri & & quasi præstinari velit, grande coram DEO peccatum esset. Sic peccatum quoque

est,

est, si exemplum Christi & Apostolorum ad falsum illum finem & scopum dirigatur. Quamvis igitur externè conformitas quædam appareat, quòd Zvvingliani panem frangunt eo modo, quo Christus & discipuli ejus fregerunt, in eo tamen maxima se exerit difformitas, quòd Christus & discipuli ipsius panem fregerunt ad distributionem inter communicantes, sicut Evangelistæ scribunt, *Accepit panem, gratias egit, fregit & dedit illis:* Zvvingliani autem frangunt ad præfigurationem & adumbrationem mortis Christi: De qua ne verbum quidem in institutione S. Cœnæ inveniri potest, sed purum putum illa est humani cerebri figmentum, & cum verbis Christi consistere neutiquam potest. Etenim in S. Cœna Christus panem & vinum instituit, non ut signa sint & figuræ corporis & sanguinis sui longissimè abtentis (quæ figuræ & typi pertinent ad V. T. finemque suum & complementum adepti sunt, postquam Filius Dei incarnatus est, *Coloss. 2. vers. 17. Heb. 9. ver. 24. & 10. vers. 1.*) sed ut media sint & organa divina ad distributionem corporis & sanguinis sui, sicut Paulus ait: Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi, & calix, cui benedicimus est communicatio sanguinis Christi, *1. Cor. 10. v. 16.*

Sed

Sed Paulus, 1. Cor. 11. Hoc est, *inquit*, corpus meum, quod pro vobis frangitur. *Ex quo certè apparet per fractionem panis fractionem corporis Christi præfigurari?*

Primò Apostolus præfigurationem illam planè ignorat, neque ullus de illa apex vel apud ipsum, vel apud Evangelistas monstrari potest.

Deinde constat, quòd D. *Ioh. cap. 19. ver. 36.* exertis verbis os Christo comminutum non fuisse testetur, & è Scriptura demonstret.

Adde quòd agno paschali, qui elegans typus erat Christi agni illius Dei, os confringi non debuerit. Vide, *Exod. 12. vers. 46. Num. 9. ver. 12.* Quare certissimum est, quòd propriè loquendo corpus Christi non sit fractum, adeoq; falsum est, quòd per fractionem panis fractio corporis Christi adumbretur.

Nihilominus expressissima D. Pauli verba adsunt: Qui pro vobis frangitur?

Non infiteor: & recipio ego verba illa in solidum, sicuti cum Evangelistis & toto divino codice consentiunt, hoc sensu: Quòd corpus Christi traditum sit in mortem ignominiosissimam, miserrimam, & cum summis doloribus & cruciatibus coniunctam, qualis esse solet

solet eorum mos, quibus ossa franguntur & comminuuntur: veluti duobus latronibus in cruce crura fracta & comminuta sunt. Ubi tamen hoc semper est & manet verissimum, quòd Christo propriè ossa non sint fracta, neque corpus ipsius in partes comminutum. Ac proinde Divi Pauli verba analogiæ illi Zvvinglianæ præbere patrocinium nullatenus possunt. Et fatentur ipsimet, verba illa non propriè & κατὰ τὸ ῥητὸν, sed metaphoricè intelligenda esse.

Ergò constans hæc tua est sententia, quòd Fractio panis omninò non directa sit ad præfigurationem & adumbrationem mortis Christi?

Ita est: & probare incumbit Cinglisequis illam suam analogiam ex ipsa Sacræ Cœnæ institutione: id quod in hunc usque diem præstare nondum potuerunt. Et hîc ipsos constringimus, & aperta Scripturæ testimonia monstrare jubemus, aliâs fidem eis non habituri, nihil morantes speciosas & ingeniosè excogitatas ipsorum locutiones. In divinis enim mysteriis solum Dei verbum dominabitur, non ratio & sensus humani, ut suprà dictum est.

Hoc

Hoc tamen semper manet, quòd Christus ipse panem fregerit, & posteà etiam discipuli ipsius & discipulos secuta Ecclesia primitiva: cur igitur illorum exempla presse non imitamini? An forte eos nos corrigemus? An verò ultra magistrum nostrum Christum sapiemus?

Suprà dixi fractionem panis, si ad verum & genuinum suum finem referatur, nimirum ad distributionem, nos non impugnare, neque in ullo homine reprehendimus, si exemplum Christi sequi velit: Imò laudabimus potius, si id fiat legitimè & ad ædificationem. Et sanè & nos panem frangimus, ut inter communicantes distribui posset: sine qua distributione Cœna Domini nec esse, nec administrari potest. In eo solùm est discrepantia aliqua, quòd Christus panem in ipsa actione Cœnæ fregit, nos verò frangimus, & in particulas comminuimus ante actionem Cœnæ: Unusque & idem Ἀρτολαξίας finis semper manet, ut nimirum panis distribuatur inter communicantes. Et si persuaderi sibi paterentur Calviniani, ut suæ isti Analogiæ repudium mitterent, quippe quæ omni in Scripturis fundamento destituta est, res tota facilimè componi posset. Non enim pro ipsa fractione panis ἁπλῶς

tam

tam fortiter dimicant, sed sub illa, veluti illos ipsos reos confitentes habemus, hoc quærunt, ut vera & realis præsentia ac participatio corporis & sanguinis Christi cum pane & vino ex animis hominum tollatur & eripiatur. Interea etiam atque etiam cavendum est, ne per splendidas istas exemplorum Christi Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ allegationes libertas Christiana captivetur, & vim patiatur.

Explica hæc mihi nonnihil dilucidius?

Rem totam claro & perspicuo exemplo declarabo. Christi mandatum extat *Baptizate*? Quod verbum propriè, ut Calviniani ipsi docent, significat in aquam immergere. Et Iohannes Baptista homines, quos baptizabat, in Iordanem immersit: qui mergendi ritus apud Apostolos & in Ecclesia primitiva valde receptus fuit, & pulcherrimam significationem sive figuram istam in aquam immersionem habere ostendit D. Apostolus *Roman. 6.* ut quòd per Baptismum cum Christo consepeliamur in mortem, ut quemadmodum Christus excitatus est ex mortuis, per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus, &c. Quòd si igitur quis ita concludere velit: Extat ibi. I. *mandatum*, Baptizate, & 2. *exemplum Christi*, qui in Jordanem descendit, & baptizatus fuit. 3. *exemplum Apostolorum*, qui

ita

ta baptizârunt. 4. Et primitivæ Ecclesiæ. Quocirca illi, qui baptizantur, necessariò in aquam immergendi sunt: ac proinde minus rectè aqua adsperguntur. Quòd si, inquam, quis ita jam concludere velit, an non sua isthac novatione novas in Ecclesia turbas excitaret? Imò potius omnes pii & cordati crassissimam ipsius ruditatem deprehensam reprehenderent & castigarent, ostendentes sufficere, quòd Baptismus sit lavacrum regenerationis in verbo: atque ideò perinde esse sive homo in aquam immergatur, sive aqua adspergatur in nomine individuæ Trinitatis, modo verè sit & appelletur lavacrum aquæ in verbo, & sic lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti? Par ratio etiam est fractionis panis in sacra Cœna. Si modo panis inter communicantes distribuatur, perinde est sive ante actionem, vel in ipsa actione digitis comminuatur, aut cultro dissecetur, dummodo ritè secundùm Christi institutionem distribuatur, & comedatur. Et merito Calvinianos hortamur, ut candidè & ingenuè nobis indicent, quid ad hoc exemplum de Baptismo respondere velint. Et possunt plura ejus rei exempla proferri, si opus esset.

Nihilominus, si ista Calvinianorum Analogia de fractione panis ex Ecclesiis Augustanæ Con-

fessionis eliminata fuerit, exemplo Christi conformius esset, si fractio panis in actione Cœnæ retineretur?

Non contra ibo, si adsit universalis nostratium consensus. Aliâs cautè observandum est, quòd si fortè una vel plures Ecclesiæ particulares in rebus adiaphoris, à ceremonia communi, in omnibus cæteris Augustanæ Confessioni addictis Ecclesiis receptâ & usitatâ recedere velint, multa sint, quæ ad rationis trutinam appensa diligenti excussione opus habeant.

I. Enim sic multi infirmi offenderentur, quoniam ceremonia illa hodiè apud solos Calvinianos in usu, & ipsorũ quasi propria in quarto modo, ita quidem ut & nunc facta sit religionis nota characteristica: quam etiam tam necessariam esse dictitant, ut sit pars Cœnæ principalis, & sine ea Cœna integra & perfecta esse nequeat.

II. Calvinianorum hæc est indoles, ut, quamprimùm una ex nostratibus Ecclesiis ceremoniam hanc adhibuerit, quòd ad se accesserit, plenis buccis sint occlamaturi.

III. Quæ absurda & incõmoda ex ceremonia ista Calviniana pullulent, experientia abundè satis testatur: Ubi nonnullis panis in terram lapsus est, (ut nihil de calice & vini profusione dicam.) Nonnulli panem secum domum

mum tulêre: Seniores propter duritiem panẽ edere & dentibus comminuere nõ potuerunt. Quidam calicem ex imo cavo exhauserunt, ut plus vini apud œnopolam petere opus fuerit. Apud ægrotos quæ & qualia acciderunt? *Summa*: ex variis illis & portentosis actis, quæ vel in vicinia nostra contigerunt, quilibet cordatus colligere potest, quòd Ecclesia non sine gravibus & prægnantibus causis ordinaverit, ut cuivis communicanti sua particula panis in os ingeratur, & calix, ex quo bibat, manu pastoris porrigatur. Ubi tamen nõ concedimus, ab adversariis etiam probari non potest, ceremoniam illam à Pontifice Romano primitus introductam esse. Adde quòd expressè contrà protestemur, nos ea, quæ à Papistis forsan adferri possunt, de impuris Laicorum manibus, ob quas à contactu panis sanctificati abarceantur, & similibus aliis, toto pectore improbare. Non dicam, quàm durum sit, Ecclesias occidentales ad annos mille & ultrà insimulatum ire, quasi integram ac perfectam Cœnam non habuerint propter omissionem Ἀρτοκλασίας in media Cœnæ actione.

Pluráne habes de Fractione panis?

Sanè accuratè notandum est, quòd adhuc nondum inter ipsos Calvinianos conveniat, utrum fractio panis sit pars Cœnæ essentialis

an integralis, an vero tantùm sit necessarius ritus ac ceremonia. Sunt .n. adhuc hodièq; Ecclesiæ Calvinianæ, in quibus fractio panis in actione Cœnæ non adhibetur: Sed istæ quantum ad illas ceremonias, Cœnam eodem modo celebrãt, quo & nos celebrare solemus. *Quid respondes ad hanc objectionem? Benedictio sive gratiarum actio præcedit, Distributio sequitur, Panis verò fractio inter hæc duo mediat. Atqui Benedictio sive Gratiarum actio & Distributio est necessaria. Ergò etiam Fractio panis est necessaria.*

Variè responderi potest, sed nos una responsione jam contenti erimus: Gratiarum actio sive Benedictio est necessaria. Forma vero sive modus benedictionis positus est in libertate Christiana. Non enim Evangelistæ mẽtionem faciunt verborum aut formæ, sive modi, quo Christus in benedictione usus fuerit. Ita & δόσις sive distributio est necessaria: an vero illa in manum, vel dextram, vel sinistram, an in os fieri debeat, liberum est. Neq; quis ita animi desipiet, ut illum, qui mutilus esset vel manu, vel brachio, vel claudus, vel æger viribus, ut apprehendendi & accipiendi facultate sit destitutus, Cœnam Christi juxta Christi institutionem percipere non posse, dictitet. Par ratio est fractionis panis, quę necessaria est ad distributionem

nem inter cómunicantes. An vero ante actionem, aut in ipsa actione frangendus, aut cultris in frusta dissecandus, Christianæ libertati reservatur, modo omnia ordine & decenter fiant, *1. Cor. 14. v. ult.*

Membro huic de Fractione panis colophonem imponemus, & ad alia pergemus.

Unum adhuc monebo. Si fractio panis repræsentaret crucifixionem corporis Christi, pari ratione etiam in altera parte Cœnæ aliquid esse oporteret, quo effusio sanguinis præfiguraretur. Illud autem non potest dari. Quare rectè concluditur, Panis fractionem nequaquam præfigurare & adumbrare, sed veluti Paulus loquitur, *1. Cor. 10. v. 16.* κοινωνίαν & cõmunicationem corporis Christi esse.

Quid ad hæc Cingliani?

Quidam dicunt: quemadmodum vinum ex cantharo vel vase in calicem effunditur: ita & sanguinem Christi effusum esse. Alii vero: Quemadmodum vinum ex calice in os communicantium effunditur: ita sanguinem Christi in ara crucis effusum esse.

Accommoda hæc videtur analogia.

Si apud Evangelistas extaret, ambabus, quod dicitur, ulnis, acceptarem: verùm Evangelistæ tantùm mentionem faciunt calicis, vel ποτηρίου

neq; vel minimum jota mõstrari potest, quod vinum ex vase hoc in aliud effusum esse testetur. Pariter si nunc temporis majusculum aliquod vas & ποτήριον in mensa collocaretur, & ex illo communicantibus potus ordine præberetur, ibi certè vinum non effunderetur ex uno vase in aliud. Non dicam jam, quòd hoc non sit *effundere*, quando ex uno vase in aliud liquor effunditur, sed *infundere*. & appellationem habet à termino *ad quem*, non à termino *à quo*. Eodem modo nemo sanus dicet, quod ille, qui ex calice bibit, vinum *effuderit*, sed in os *infuderit*, sicuti de ægris dici solet, quod *infusa* ipsis sit potio pro remedio hujus vel illius morbi, &c. Informandi hîc erant Calvinani in idiomate Germanico, ut meliùs, commodiùs ac dexteriùs loqui discant. Id quod & in linguis Latina & Græca ipsis inculcandum est. Et festivè hîc Calvinianos ludit B. Lutherus noster, dum scribit, unum ex Apostolis calicem movere debuisse, quò guttulæ nonnullæ effluxerint, & ita misera illa Calvinianorum Analogia subsidium aliquod ac refugium habuerit.

Sed Paulus membrum hoc de Fractione panis nobis concludet, qui ait, quod calix benedictus sive πόμήριον sit (non præfiguratio vel repræsentatio, sed) κοινωνία & communicatio sanguinis Christi, *1. Cor. 10. v. 16.*

Sed

Sed de his jam satis. Antea mentio fiebat manducationis & bibitionis, quæro igitur, utrum illud de spirituali, an verò de corporali manducatione & bibitione intelligendum sit?

Christus ait, *Edite, bibite.* Quæ Christi verba intelligo simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν. Constat enim omnibus, & res ipsa testatur, panem & vinum ore accipi, manducari & bibi. Et omnem dubitationis scrupulum, *Marc. cap. 14. ver. 23.* nobis exemit, dum inquit: *Et biberunt ex eo omnes.* Ubi Judas proditor simul inclusus est: qui verò tum non credidit, sed Diabolus cor ipsius obsederat, ideoq; fide bibere non poterat, sed ore.

Ast Judas Cœnæ non interfuit, teste Iohanne, c. 13. v. 30.

Hoc ex Iohanne probare mihi nemo poterit. D. Lucas autem *cap. 22. v. 21.* exertè & perspicuè, immediatè post descriptionem Cœnæ, *Ecce*, inquit, *manus tradentis me mecum est in mensa.* De quo multa & clara apud Augustinum testimonia extant.

Si in Cœna est corporis & sanguinis Christi manducatio & bibitio corporalis, Capernaitarum sententia locum habebit?

Opus hîc erit cautè loqui, ut adversariorum calumniis, quantùm fieri potest, occurratur.

Nullatenus enim docemus nos, corpus Christi modo carnali & corporali accipi ac manducari, quomodo aliâs cibi terrestres manducari solent, quod absit. Esse enim S. Cœnam mysterium sublime ac divinum, suprà diximus. Ac proinde luculenta nobis fit injuria, cùm manducationis Capernaiticæ insimulamur: quam corde & ore nos condenamus & detestamur. Hoc verò dicimus, quòd ore corporali cum pane, μυστικῶς tamen, corpus Christi verè accipiatur & manducetur, vi verborum Christi: *Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus.*

Quid? si ore panis & vinum, fide autem vel ore fidelis animæ corpus & sanguis Christi sumatur, edatur & bibatur?

Speciosè hæc quidem dicuntur, sed nos ad Christi autoris verba & institutionem adstringimur, quæ ita sonant: *Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus.* Jam fatentur Calviniani ipsi, τὸ edere & bibere, cùm de pane & vino dicitur, idem esse ac corporali ore edere & bibere. Quòd si igitur spiritualem mãducationem & bibitionem obtrudere hîc volunt, monstrent nobis oportet verba Christi, in quibus spiritualis ista manducatio mandata sit, & in quibus ipsa subsistat.

Verum quidem est, q̃ præter sacramentalem participationem corporis & sanguinis Christi

ad

ad salutarẽ usum S. Cœnæ vera fides requiratur, quæ Christum apprehendat, & teneat cũ omnibus beneficiis nobis acquisitis: Et qui fidem illam non habet, *indignus est & imparatus, ut* D. Lutherus in Catechismo ait. Verbum enim, Pro vobis, *requirit omninò corda credentia*: Sed de eo nunc est quæstio, quid propriè, certò & immotè duo hæc verba, *Edite, Bibite*, in institutione Cœnæ significent, ubi nos respondemus, notare ipsa manducationem & bibitionem corporalem, ut suprà expositum est.

Quomodo verò corpus & sanguis Christi, spirituales ac cœlestis ille cibus & potus, ore corporali accipi potest?

Quomodo hoc fiat, Christum Dominum meum curare sino, qui verax est & omnipotens, in cujus verbo unicè fixus hæreo, neque me abduci quicquam ab illo patior. Deinde aliud est, corpus & sanguinem Christi per se & immediatè edere & bibere, quod lubens concedo, per fidem fieri, de quo *Iohan. 6. cap.* latè. Ubi notandum est, spiritualem illam manducationem & bibitionem unam esse & non distinctam, nihilque esse aliud, quàm in Christum credere, veluti Christus ipse explicat *Io an. 6. v. 35. & 47.* Fides enim uno intuitu in Christum fertur, eumque uno complexu, non

xu, non particulatim neque dimidiatum, sed totum apprehendit cum omni merito: atque ita nullum hîc discrimen est inter manducationem & bibitionem. Verùm in S. cœna mãducatio & bibitio ita distinguuntur, ut duæ (conjunctæ tamen) se mutuò consequentes actiones sint, quemadmodum ob id Papistæ, ut mutilatores & truncatores S. Cœnæ accusantur & convincuntur, quia quidem panem benedictum edunt, benedictum vero calicem non bibunt, sed omnibus omninò Christianis, exceptis sacrificulis, denegant. Ac proinde in Sacrâ Domini cœnâ corpus Christi editur non seorsim, neque quà absolutè est corpus, sed unâ cum pane benedicto, qui est κοινωνία corporis Christi *1. Cor. 10. v. 16.* ut ita corpus Christi cum pane, vi institutionis, abscondito, Deo soli cognito, nobis verò in vita hac imperscrutabili modo, unitũ sit, & propter unionem illam Sacramentalem verè dicatur: *Qui edit panem edit, corpus Christi.* Manducatio enim solius panis absq; Christi corpore (quæ in convivio quovis fieri solet) vel manducatio solius corporis Christi absque pane (quæ fit per fidem. *Ioh. 6.*) non est Cœna Domini, sed in & una cum pane, unaq; & indivisa manducatione, quæ fit ore, verè editur corpus Domini, juxta Christi verba:

Edite,

Edite. Hoc est corpus meum. Quo verbo Institutionis æterna Sapientia & Veritas, benedictus ille Dei & Mariæ filius, panem & corpus: sicut & illis verbis: *Bibite, hic est sanguis meus*, vinum & sanguinem ita conjunxit & copulavit, ut non seorsim panis & vinum, sed una & cum ipsis verum ipsius corpus & sanguis edatur & bibatur. Quod igitur Deus ipse connectit & copulat, nulli hominum dirimere aut separare licet.

Quomodo intelligis verba Christi: Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus?

Simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν absque ulla glossa, commento, vel additamento humano. *Panis* est & verè manet Panis, *Vinũ* est & verè manet vinum. *Manducationem* & *bibitionem* intelligimus de illa participatione, quæ fit ore corporis. *Corpus & sanguis* Domini est verum & essentiale corpus, pro nobis in mortem traditum: verus & essentialis sanguis, pro peccatis nostris in ara crucis effusus.

Cur igitur tam frequenter usurpatis verba: In cum, & sub *pane esse corpus Christi? non secus ac si corpusculum aliquod sub pane absconditum lateat, secundùm illud quoq; cantionis vestræ:* verborgen im Brot so klein?

Voca-

Vocabula illa à patribus originem trahunt, & à Calvino ipso & Bullingero usurpata sunt, & contra Pōtificios utiliter adhiberi possunt. Nihilominus missis illis omnibus, D. Lutherus sententiam suam perspicuè exposuit, ita nimirum & cum hac præscriptione, ne lites & contentiones de illis vocabulis excitentur: cum hac item protestatione, quòd ipse lubentissimè Christi & Pauli verba retinere velit, si in re ipsa ὁμοδοξία & consensus iniri possit. In eo autem injuria nobis fit, quādo accusamur, quasi à verbis & sententia Christi nos recedamus. Etenim aliter modo isto loquendi non utimur, nisi dilucidioris explicationis & declarationis gratia. Et extant eius rei similia exempla in Scripturis, ut Act. 10. v. 38. 2. Cor. 5. v 19. Quod verò attinet superius allegatā cantionem Ecclesiasticam, notum est, quòd D. Lutherus verba illa ex Johanne Husso transtulerit, & socco Germanico induerit. Simplex verò eorum sensus hic est: Christum in sui commemorationem in S. cœnâ nobis ordinasse corpus suum manducandum mysticè & modo arcano in pane (quia enim non ad saturitatem, sed ad sanctimoniam sumi debet, ideo non multum sumimus, sed parum, juxta Canonem Concilii Nicæni) & sanguinem suum in vino. Ubi vocabulum (verborgen/) non notat inclusionem sive delitescētiam localem

(ut

(ut multi calumniãtur) sed eo significatur sublime illud mysterium, quod licèt vera præsentia corporis Christi in pane ratione aut sensibus humanis comprehendi non possit, nobisque arcana & abscondita sit, Deus tamen modum noverit, juxta quem reipsa præstare omnia, quæ in institutione sua ordinavit, valeat. Latinè ita verti possunt. Christus dat nobis edendum corpus suum mysticè in parvo pane, & sanguinem suum bibendum in vino: ut ita vocabulum verborgen / *mysticè* significet arduum hoc mysterium. Ac proinde summa protervia est, adversus tam solidam ac perspicuam sæpiusque repetitam ἐξήγησιν & declarationem verba illa pervertere & calumniari.

Sed alii aliter hæc Christi verba interpretantur, sta nimirum, ut panis sit signum & pignus corporis Christi, & vinum sit signum sanguinis Christi?

Si rationem & humanas sequi velim speculationes, glossa hæc valdè plausibilis esset, quã tam speciosè & tam eleganter etiam comere, & comare vellem, quàm Zwinglius ipse unquam fecit, qui de se tamen publicè testatus est, quod istam suam de verbis Cœnæ sententiam ex nocturno monitore didicerit, de quo non

non meminerit, ater an albus fuerit. Sed dictum semel est, semperque, quod dictum est, ratum esto; esse hoc mysterium, ac proinde non ex ratione, sed unicè & solùm ex Dei verbo docendum & discendum. Quum igitur Christus non dicat: Edite, *hoc significat* corpus meum, vel hoc est signum corporis mei. Sed, *Edite, Hoc est corpus meum.* Item Paulus *Panis quem frangimus est* (non figura sive signum, sed) *communicatio* (κοινωνία) *corporis Christi 1. Cor. 10. v. 16.* Iccircò tropum hunc Calvinianorum, ceu commentum humanum facessere jubeo, & Christi ac Pauli verba, quæ me, quod certò scio, non fallent, unicè attendo.

Qui verò Christi corpus & Sanguis in S. cœnâ essentialiter esse, & ore edi ac bibi potest, cùm Christus corpore suo in cœlum adscenderit, & inde ad iudicium rediturus sit? Etsi in Cœna verè præsens esset, etiam videretur ac palparetur. Quorum neutrum tamen fit. Sufficit ergò, si corpus ac sanguis Christi fide & spiritualiter manducetur ac bibatur?

Simpliciter ita respondeo. Christum in cœlos adscendisse certò credo, quoniam Scriptura testatur. Corpus & sanguinem Christi in Sacra cœna cum pane & vino verè distribui,

bui, manducari ac bibi, itidem certò credo, quia adsunt expressa Christi verba: *Edite, h. e. corpus meum.* Licèt igitur ratio mea in eo offendatur, quomodo verum, finitum ac circumscriptum corpus humanum simul & semel & in cœlo, & in S. Cœna in terris præsens esse possit: Deo tamen tribuo honorem, quòd solus sapiens, verus & omnipotens sit, & quòd possit facere superabundanter, ultra quàm ego capere vel sapere possum. Deinde Christus sub corpore non solùm in cœlum adscendit, sed etiam ad dextram infinitæ potentiæ & majestatis Dei collocatus est, & constitutus Dominus super omnia, & accepta omni potestate in cælo & in terra evectus est super omne nomen, quod in hoc & futuro seculo nominari potest. Abundè igitur mihi sufficit, quòd Christus in verbis institutionis ordinavit, ut cum pane & vino verum ipsius corpus verumque sanguinem manducemus & bibamus. Neque enim Christus facultate ac potentia destituitur, quò minus id, quod promittit, revera præstare possit. Habet namque os veridicum, & manum omnipotentem. Et oportet nos firmiter & absque hæsitatione credere & fateri, quod quidem Christi

cor-

corpus sit verum corpus humanum, κατ' οὐσίαν nostris corporibus conforme: Unde & frater noster dicitur, & est caro de carne nostra, & os de ossibus nostris: Oportet autem simul nos cogitare, quòd æterni & omnipotentis Dei sit proprium corpus, in cujus personam adsumptum est, & in quâ subsistit. Utrumque igitur conjunctum manet, Christũ & verum hominem, & verum Deum esse. Facit igitur, quæcunque vult, & nemo impedire ipsum potest. Et nos meritò simpliciter hæremus ac manemus in verbis institutionis Sacræ Cœnæ.

Quid judicas de illis, qui indignè S. Cœnâ utuntur?

Libenter ad hanc quæstionem respondeo, non ut indignis patrociner, eosque in incredulitate & peccatis suis excusem vel defendâ, quod absit, & contra quod sanctè protestor: sed potius ut omnes homines adhorter, quò diligenter caveant, ne ex illorum numero esse deprehendantur, qui sancto & cœlesti hoc convivio ad suum judicium, suumq; exitium ac damnum abutuntur, suaque impietate illud profanant.

Quid igitur propriè est Cœnam Domini indigne accipere?

Indignè Cœnam accipiunt, qui sine verâ pœni-

pœnitentiâ & fide accipiunt. Juſſit enim Chriſtus illa nos uti ad memoriâ ſui, quippe pro nobis paſſi & mortui. Quiſquis igitur Chriſti non recordatur, neque ex animo de admiſſis peccatis dolet, eorumque remiſſionem apud Chriſtum ſolùm quærit, & verâ fide impetrat, eique pro his ex corde gratias non agit, ille, ille, inquam, indignus hoſpes eſt cœleſtis hujus convivii.

Sed quid: ſi homo veram quidem haberet fidem, ſed infirmam & languidam, an ille S. Cœnam percipit dignè, an verò indignè?

Eum in finem S. Cœna à Chriſto inſtituta eſt, ut fidei noſtræ augendæ & confirmandæ inſerviat. Quare hi veri ſunt ac digni Chriſti convivæ: qui gratiam & miſericordiam ipſius ſitiunt. Eſtque dogma illud non Evangelicũ, ſed pernicioſum, quod viam latiſſimam ſternit ad deſperationem, quo illi, qui fidem habent infirmam & languidam, hoſpitibus Chriſti indignis annumerantur. Sani enim non egent Medico aut medicamentis, ſed ægri. Nec, qui ſaturi ſunt, appetũt, vel opus habent cibo & potu, ſed qui eſuriunt ac ſitiunt.

Probabile videtur, illum, qui ſine fide edit & bibit panem tantùm & vinum edere & bibere:

Est enim Caro Christi, caro vivifica, & cibus spiritualis, qui sine fide percipi non potest?

Sicut unus est Baptismus secundùm essentiam, quo non minùs hic, quàm ille baptizatur, & non duo Baptismi, quorum alter sit institutus pro piis & fidelibus: alter pro hypocritis & infidelibus: Sicut & unum tantùm est Evangelium, quod variis auditoribus prædicatur: Ita & secundùm essentiam una tantùm est Cœna Domini (non duæ distinctæ) in qua panis & vinum, corpus & sanguis Christi præsenter traduntur, accipiuntur, manducantur & bibuntur, ut suprà expositum est. Non igitur divelli Sacra Cœna potest, ut dicere velimus impœnitentes hypocritas Cœnam tantùm habere dimidiatam: fideles verò habere integram, nimirum panem & vinũ, corpus & sanguinem Christi. Attendenda hîc est institutio Christi ajentis: *Edite, hoc est corpus meum, Bibite, hic est sanguis meus.* Quæ verba Christi semper vera sunt & manent vera in Cœnâ, sive illam accipiat Judas, sive Petrus.

Sed hac ratione nullum esset discrimen inter fideles & infideles?

Equidem, quod οὐσίαν & essentiam ipsam concernit, Baptismus & Sacra Cœna, quando juxta Christi institutionem administrantur, inte-

integra & perfecta semper sunt & manent, dantibus & accipientibus ea quibuslibet, sive bonis sive malis. Sacramenta enim fundata sunt, non in hominum fidelitate vel infidelitate, sed in Christi institutione. In eo autem discrimen apparet, quòd fidelibus S. Cœnæ vergit ad confirmationem fidei, ceu tessera divinæ erga ipsos voluntatis: Infidelibus verò cedit ad judicium, &, si in infidelitate perseveraverint, ad æternum supplicium. Fides igitur facit, ut S. Cœna nobis proficua sit & salutaris: quem fructum infideles non percipiunt.

Potestne sententia hæc ex eo, quòd Paulus 1. Cor. 11. *de indignorum manducatione & bibitione agit, confirmari & stabiliri?*

Potest optimè; & quidem per hunc συλλογίζονται λόγον. *Quisquis manducando & bibendo reus sit corporis & sanguinis Christi, & sibi ipsi judicium edit & bibit, eo ipso, quòd in ea manducatione & bibitione non discernit corpus Domini: eum certum est manducare & bibere corpus & sanguinem Domini.*

Atqui Paulus diserte testatur, quòd illi, qui indignè manducant panem hunc (de quo CHRISTUS ait, Hoc est corpus meum) & indignè bibunt calicem hunc,

(de quo Christus inquit, Hic est sanguis meus) *per manducationem istam & bibitionem rei fiant Corporis & sanguinis Domini, 1. Cor. 11. v. 27.* & sibiipsis judicium edant & bibant v. *29. eo ipso, quòd in ea manducatione & bibitione non discernunt corpus & sanguinem Domini, vers. 29.*

Quare certum est, eos, qui indignè manducant panem hunc (benedictum.) & bibunt calicem hunc (benedictum) manducare & bibere corpus & sanguinem Domini.

Qui fit, quòd non omnes, qui edunt carnem Christi, vivificantur: cùm caro Christi sit cibus vitæ, Joh. *6.*

Quemadmodum Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, *Rom. 1. v. 16.* & sic odor vitæ ad vitam, in iis, qui salvi fiũt, *2. Cor. 2. v. 16.* Et nihilominus tamen Evangelium vocatur odor mortis ad mortem infidelibus, qui pereunt. *ibid.* Ita & Christus vivificat, quos vult, intellige, qui in ipsum credunt. Incredulos autem judicat & punit. *Iohan. 3. & 5.* Non enim tantùm salvator est omnium credentium, sed justus etiam judex omnium hominum *Actor. 17. Iohan. 5. Matth. 25.* Est proinde discrimen inter manducationem carnis CHRISTI spiri-

spiritualem, & sacramentalem, ut dictum est quæstione 2.

Quid igitur est corpus CHRISTI discernere?

Est sacratissimam hanc Cœnam (in qua cũ pane & vino verum corpus & sanguis Domini in cibum & potum nobis proponitur) seperare à quovis convivio ac sympolio profano, veluti sublime ac cœleste mysterium. Et qui hoc non faciunt, accipiunt Sacramentum hoc sibiipsis in judicium, propter suam incredulitatem.

Quis est finis & usus Sacræ Cœnæ?

Est multiplex: I. enim luculentum testimonium est divinæ erga nos gratiæ, quòd Deus nos adeò dilexerit, ut proprium & unigenitum suum filium nobis donaverit, qui pro nobis exquisitissimos cruciatus ac torméta in arâ crucis sustinuit: Et fruendum nobis exhibet corpus & sanguinem suum cum pane & vino, ut precioso hoc redemptionis pignore certi reddamur de remissione peccatorum, justitia & vita æterna. Inservit proinde S. Cœna fidei in nobis excitandæ, confirmandæ, augendæ & conservandæ.

II. Incitat nos ad debitam gratiarum actionem erga Deum pro exhibitis beneficiis.

quæ fulgere & exerere se debent in ardenti amore Dei & obedientia præceptorum ipsius, & sic etiam in amore proximi: Inprimis verò Christianorum, qui nobiscum de uno eodemque Sacramento participant: Nos enim multi unus panis sumus, & omnes membra unius corporis; quemadmodum docet Apostolus, 1. Cor. 10. & 12. Item Eph. 4. cap. Et hoc verè est memoriam Christi recolere, & mortem ejus commemorare, pro ea humiliter ei gratias agere, ipsum diligere, ipsi obedire & dignè Evangelio vivere. Ad quæ participatio corporis & sanguinis Dominici, quæ fit cum pane & vino, multò fortius nos instigat, quàm analogia illa Sacramentaria Fractionis panis & effusionis vini. De qua significativa & adumbrativa fractione & effusione, ne jota quidem in tota Sacræ Cœnæ institutione inveniri potest.

III. Sumptio S. Cœnæ est Symbolum publicum sive argumentum Christianæ nostræ religionis. Quia enim verbum & Sacramenta arctissimo & indissolubili vinculo cõnexa sunt, testamur publicè nos eam doctrinam & confessionem, quæ publicè in Ecclesia qua Sacrã Cœnam accipimus, sonat, approbare. Ac proinde nemo Sacram Cœnam

bona

bona cõscientia petere & accipere potest illis in Ecclesiis, in quibus Evangelii doctrina purè & syncerè non proponitur. Quia, ut dictum est, doctrinæ professio & Sacramentorum usus arctissimo vinculo connexa sunt.

Atque ita. IV. Sacramenta discernunt Christianos à gentilibus, sicut Circumcisio in Veteri Testamento discernebat Judæos ab aliis populis. Aliæ multæ utilitates annotari possent, si quis hanc rem plenè pertractare vellet. Hæ autem sunt præcipuæ.

Quomodo verò homo se præparabit, ut dignus sacræ Cœnæ hospes esse possit?

Homo seipsum probet, ait Paulus 1. Corin. 11. Quæ probatio consistit in eo, ut semetipsum, suam naturam, cogitationes, dicta & facta, adeoque totam suam vitam contempletur in speculo purissimo divinæ legis, in omnibus ac singulis præceptis. Ex qua contemplatione certò deprehendet se miserum peccatorem, ideoque iræ divinæ, judicii & damnationis æternæ reum esse. Neque sibimetipsi quispiam subblandietur, ita ut se pium præ reliquis venditare velit. Quò enim pressior peccatorum est confessio, eò magis divina dulcescit gratia.

Deinde pectoris per agnita peccata contritionem sequetur probatio ex Evangelio, cujus summa est fides & fiducia in CHRISTUM mundi salvatorem, qui pro peccatis nostris mortuus sanguinem suum profudit: ut homo in solo Christo quærat & inveniat remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam.

Et utilis ac præclara est Ceremonia, qua quilibet Christianus suo Pastori, ut ordinario DEI ministro peccata sua confitetur, atque ab ipso absolutionem petit & accipit. Quæ res multis iisque efficacibus stipata est consolationibus, sicut pius Christianus quivis ex praxi & experientia animadvertere ipse potest.

Denique accedet etiam serium propositum ac studium peccata quævis, quibus & DEUS & homines offenduntur, quantum quidem fieri potest, per Dei gratiam in posterum fugiendi; & cogitabit homo, quòd CHRISTUS JESUS Dominus ac Salvator nobilissimum illum vitæ suæ thesaurum pro nobis exposuerit, sanguinemque suum profuderit, ut à peccatis nos liberaret. Pro quo beneficio Optim. Maxim. non solùm æternas ipsi gratias agemus, sed etiam in sancta obedientia iuxta præscriptum

ptum verbi ipsius ipsi inserviemus, neque in cœno & luto peccatorum nos iterum volutabimus.

Quæ omnia pluribus à Christianis pastoribus exaggerari, acui, exemplis declarari, eumque in finem dirigi cuncta debent, ut per usum Sacræ Cœnæ conscientia hominum consolationibus muniatur, fides confirmetur, pietas ædificetur, amor erga Deum & proximum magis magisque accendatur, & æterna Christianorum salus promoveatur.

Unum adhuc, antequam concludam, quærere libet. Si Pastor religioni Calvinianæ addictus mihi juxta meam fidem & confessionem S. Cœnam porrigere vellet, an & bona conscientia ab ipso accipere possem?

Christianus & cordatus Ecclesiæ minister, qui fidei & religionis suæ fundamenta probè tenet, eò adigi nunquam se patietur, ut pretiosissimum S. Cœnæ thesaurum illis porrigat, qui minus dextrè de ipsa sentiunt. Dictum enim est suprà, doctrinam & Sacramenta arctissimè conjuncta & connexa esse. Neque in æternum coram Deo defendere possem, si ego cuipiam S. Christi Cœnam scienter & voenter porrigerem, quem verba Christi corrigere & carpere manifestum esset, quiq; meam

ex illis extructam confessionem ac religionem oppugnatum iret. Quòd si igitur Pastor Calvinianæ religioni addictus mihi, qui in Confessionem Augustanam, invariatam illam, & in Catechismum D. Lutheri compromisi, juxta meam religionem S. Cœnam administrare vellet: aliter colligere mecum non possem, quàm ipsum vel opinionis suæ certa fundamenta non tenere, vel planè sine conscientiâ esse, qui neque Deum, neq; mysteria ipsius vel hilum curet. Constat enim omnibus, quòd Confessio Augustana, pura illa & invariata in Articulo de Cœna Domini dogma Zvvinglianum (quod ipsum in fundamentis Calvinianum est) in solidum damnet, proscribat ac rejiciat. Ac proinde Pastorem Calvinianum, qui talia facere ausit, ex his unum concedere necessariò oportebit, nempe aut nostram de S. Cœna doctrinam veram esse & orthodoxam: aut esse ipsum hominem vanum, profanum & Epicureum, apud quem omnes religiones in pari precio sint ac pondere.

Sed quid? si meam solùm fidem & Confessionem attenderem, nihil morans, quid hic vel ille credat: Etenim justus fide suâ vivit, & Sacramenta non in hominibus, sed in Christi institutione fundata sunt?

Quemadmodum fidelis Christi minister mar-

margaritas Sacramentorum porcis non objiciet: ita & γνήσιος & syncerus Christianus S. Cœnam nullibi quæret aut petet, nisi in illa Ecclesia, in qua Evangelium purè & syncerè docetur. Nam ut suprà dictum est, doctrina & Sacramenta divelli ac separari non possunt. Et immota manet regula, quòd Cœna symbolum sit Confessionis. Vis igitur non haberi suspectus, quòd in doctrinâ cum Calvinianis consentias, profectò Cœnam illorum (in qua à Christi verbis tantum, quantum à terra cœlum distat, recedunt) nunquam sectaberis, aut cupies. Ut nihil jam dicam de offendiculo, quod hinc alii sibi sunt fabricaturi. Quia verò hac de re Megalander Lutherus utilem & elegantem ad Senatum & populum Francofurdiensem Anno 33. perscripsit epistolam, eam omnibus commendo, ut diligenter legant & perpendant.

De PRÆDESTINATIONE.

Quæ fides & confessio tua de Prædestinatione ad vitam æternam?

CORDE credo, & ore confiteor ex revelato Dei verbo, & secundum illud, quòd Deus Pater cœlestis ex mera sua gratia & misericordia erga miserum & in peccata prolapsum genus humanum, Filium suum unigenitum in mundum miserit, ut sanctissima & perfectissima sua obedientia, & innocentissima passione & morte pro peccatis hominum satisfaceret, suumq; illud meritum per Evangelium omnibus in toto terrarum orbe hominibus annunciaret & offerret, & sic omnes, qui in ipsum credunt, non perirent, sed vitam æternam haberent.

Estne locus hic de Prædestinatione publicè in Ecclesia tr adendus & explicandus?

Omni-

Omnino. Ideo enim Spiritus Sanctus per Evangelistas & Apostolos consignari ipsum jussit, ut publicè in omni mundo, quaqua ille pateat, proponeretur.

Sed multi ex illo offenduntur?

Qui sua sponte materiam offendiculi sibi nequiter fabricant, Deo justissimo judici rationem certissimam reddent. Quod verò nonnulli salutarem hanc & solatii plenissimam doctrinam miserè depravant ac corrumpunt, eorum judicium multò erit gravius. Ob id tamen syncera Evangelii doctrina de sublimi hoc mysterio non sepeliri, aut nube silentii obtegi debet.

Facilimè tamen in eo hallucinari, atq; hinc in gravissimos errores incidere possumus?

Inani huic metui ut occurratur, utilem hâc & necessariam notâ regulam, quòd tota hæc doctrina in verbo Dei ita fundata ac descripta sit, ut non adigat ad securitatem, multò minus ad desperationem. Unde firma & certa est hæc cóclusio. Quicquid carnalem gignit „ securitatẽ, vel præcipitium parat ad desperationem, illud non divinũ est, sed Diabolicum & execrandum. „

Ad rem ipsam ut veniamus, quid sit æterna Prædestinatio?

Præ-

a) Prædestinatio sive Electio est *b*) Dei actio, qua *c*) ante jacta mundi fundamenta *d*) non secundùm opera, sed *e*) ex mera gratia & misericordia *f*) in Christo, *g*) juxta propositũ *h*) & prænotionem *i*) ad vitam æternam ordinavit *k*) homines *l*) virtute Spiritus Sancti *m*) per Evangelii prædicationem *n*) perseveranter in Christum credituros, *o*) in laudem gloriosæ gratiæ Dei.

a) *Rom.8.ver.30.c.9.v,11.c.11.v.5.28.Eph.1. vers.4.5.*

b) *Ibidem Et Eph.1.v.11.2.Thess.2.v.13. Actor.13.v.48.*

c) *Eph.1.v.4.2.Thess.2.v.13.2.Tim.1.v.9.*

d) *Rom.9.v.11.c.11.v.5.6.*

e) *Rom.9.v.11.c.11.v.5.6. Eph.1.v.6.2.Tim. 1.v.9.10.Ioh.3.v.16.*

f) *Eph.1.v.4.5.10. 2.Tim.1.v.9. Ioh.15.v.16.*

g) *Ephes.1.v.5.9.11. Rom.8.v.28.c.9.v.11.2. Tim.1.v.9.*

h) *Rom.8.v.29.1.Pet.1.v.2.*

i) *Act.13.v.48.1.Tim.1.v.16. Rom.8.v.29. 30.Eph.1.v.5.2.Thes.2.v.13.*

k) *Eph.1.v.4. Rom.9.v.11.1.Tim.1.vers.16. Rom.9.8.2.Thes.2.v.13.1.Pet.1.v.25.*

l) *2.Thes.2.v.13.1.Pet.1.v.25.Tit.3.v.5.2. Cor.3.v.6.8.Rom.8.v.14. & seqq.*

m) *2.Thes.2.v.13. 14.1.Pet.1.v.2.2.Tim.1. v.9.& 10.Eph.1.v.9.Rom.10.v.17.*

n) *Matth.*

n) *Matth.10.v.22.c.24.v.13. Marc.13.v.13. Luc.21.v.18.c.8.v.15.*

o) *Eph.1.v.6.12.*

Explica hanc definitionem ordine per partes?

Definitum est *Prædestinatio sive Electio:* nempe filiorum Dei ad vitam æternam. Quæ duo vocabula idem hîc notare ostendit collatio dictorum, *Rom.8.v.30. Eph.1.v.45.* ubi habetur Græca vox προορίζας, quæ significat ad certum finem destinare atq; ordinare, ita, ut simul media ad finem illum deducentia constituantur.

Sed an non & alia Prædestinatio est ad mortem?

Illam divinæ Scripturæ ignorant. Est autem in Calvini cerebro nata, qui *duplicem prædestinationem constituit, unam ad vitam, alteram ad mortem*, planè contra Scripturam, quod ipsi Calvini discipuli publicè testatum faciunt, solideq; demonstrant. D. Augustinus geminam vocat prædestinationem, cujus accuratam interpretationem invenire est apud Fulgētium, ac proinde authoritate illius frustrà se tuetur Calvinus. Sed tamen, ut dictum est, Scriptura nullā aliam novit prædestinationem, quàm electionem filiorum Dei ad vitam æternam. Et præter ac contra Scripturam est dicere

Deum

Deum ullum hominem ad interitum & damnationem prædestinasse. Confer dicta, *Marc.13.v.20. Rom.8.v.28.29.30. Ephes.1.v.5. 2.Thess.2.v.3. Apoc.17.v.8.14. Tit.1.v.1. Act.13 v.28. Dan.12.v.1.2.3. Luc.10.v.20. Heb.12.v. 23. Phil.4.v.3. Esa.4.v.3. & 49.v.16. 1.Tim.1.v. 15. Eph.5.v.26.27. Psal.45.v.14. Ioh.10.v.27. 28. Rom.8.v.14.16.17.*

Est tamen discrimen inter æternam præscientiam Dei & providentiam. Item, voluntatem, consilium & propositum Dei?

Necessarium illud discrimen accuratè observandum est. Alioqui graves & intricatæ subnascuntur inde disputationes, quibus multi confunduntur, & à veritatis tramite abducuntur.

Quid igitur est Dei æterna præscientia?

Si propriè & ἀκριβῶς de Deo loqui velimus, quoniam ipsi nihil præteritum est aut futurum, sed omnia præsentissima, non dicendum nobis erit *Præscientia*, sed tantùm *Scientia*. Sed loquitur ita Spiritus Sanctus κατ' ἀνθρωποπάθειαν καὶ συγκαταβάσιν, seq; demittit ad captum nostrum, ut aliquadantenus res divinas capere & intelligere possimus. Atque ita Dei præscientia nihil aliud est, quàm Deũ

ab

ab æterno omnia scire & videre, quæcunque futura sunt.

Estne hic peculiare quidpiam notatu dignum?

Nota accuratè, quòd per Dei præscientiam intelligatur vel *simplex præcognitio*, & præterea nihil. Et tum Scriptura dicit, Deum præscire omnia, sive bona, sive mala, *2. Reg. 19. vers. 27. Esa. 37. v. 28. Exod 3. v. 19. Heb. 4. v. 13. Syrach 23. ver. 28.* Et simplex illa præscientia non est causa rerum præscitarum; aliàs Deus constituerit causa mali & peccati, quod utique præscit & prævidet, antequam fiat, quod blasphemum. *Deinde* Scriptura quandoque de Dei scientia ita loquitur, ut includat simul & conjungat Dei approbationem, juxta illud *Psal. 1. Novit Dominus viam justorum. Et 2. Tim. 2. v. 19. Novit Dominus qui sunt sui:* hoc est, scit, qui ad se spectent, eosque novit, diligit, protegit & custodit. Hæc non est absoluta scientia, sed simul paterna gratia, favor, amor & affectus paternus. Et hoc modo Scriptura non dicit, quòd Deus impios, & viam ipsorum nôrit: Odit enim illos, & puniet tandem, nisi resipuerint & pœnitentiam egerint.

Quid est Dei Providentia?

Generatim extendit se Dei providentia ad omnia & universa; quæcunque in mundo

fiunt, quæ Deus sapienter disponit, & dirigit ad illum finem, ut gloriæ ipsius, & saluti electorum inservire oporteat.

Quid est Dei voluntas, consilium & propositum?

Non hîc loquimur in genere de Dei voluntate, sed de illa solùm, quæ in Evangelio revelata est, & salutem nostram concernit: sicut & de consilio ipsius & proposito, quod per Christum nobis manifestavit, & in Evangelio revelavit.

Est ne igitur unum plane & idem, Dei electio, Dei Consilium aut Propositum?

Non est: Sed electi nos sumus *secundùm Dei propositum*, *Eph. 1. Rom. 8.* Est igitur Dei propositum, quasi norma & regula, secundùm quam facta est electio, non verò est electio ipsa. Quanquàm verò syncreti quidam γνήσιοι doctores ita docuerint, scripserintque, ut pro ἰσοδυναμοῦσιν & æquipollentibus habuerint, sic sese tamen explicant, ut libenter istum modum loquendi, quo Spiritus Sanctus in divinis Scripturis usus est, retinere, nec diversum quicquam statuere aut docere velint.

Satis de definito: Veniemus nunc ad definitionem Prædestinationis, cuius membra omnia

& sin-

& singula sigillatim mihi emedulla: & primò proba Electionem esse Dei Actionem?

Manifestum id est ex omnibus illis testimoniis, in quibus de prædestinatione agitur. Deus enim est, qui nos elegit, & ad vitam æternam ordinavit. De quo Paulus *Ephes. 1. vers. 11. Prædestinati*, inquit, *sumus secundùm propositum ejus, qui operatur omnia* (τὸ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος) *secundùm consilium voluntatis suæ.* Sic passim Scriptura ait, Deum nos consignare, inscribere in librum vitæ, consignare in manu Dei, &c. Atque ita expressè hinc & disertè singulari ἐμφάσει ostenditur, omnem nostram salutem unicè provenire ab omnipotentis Dei Virtute & efficaciâ, & nullatenus consistere in viribus aut operibus humanis.

Quando facta est hæc Electio?

Ante jacta mundi fundamenta, teste Divo Paulo, *Eph. 1. v. 4. 2. Thes. 2. v. 13. 2. Tim. 1. v. 9. Ro. 9. v. 11.* Unde firmitas & certitudo electionis cognoscitur: ad quam digitum ostendit D. Apostolus, *Rom. 8. v. 38. 39.* quando neque instantia neque futura, &c. aut nos separare posse à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro.

Quomodo facta est?

Non secũdum opera, *sed ex meâ Dei gratiâ*

& misericordia, Eph. 1. v. 6. 2. Tim. 1. v. 9. Rom. 9. v. 11. 15. c. 11. v. 5. Huc pertinet dictum Christi, *Ioh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, &c.* Qui amor, gratia & misericordia Dei est causa princeps & summa nostræ Electionis. Ubi notandum 1. Gratiam illam Dei non considerari extra Christum mediatorem nostrum. *Eph. 1. v. 7. 2. Tim. 1. v. 9. 10.* Sine illo enim nulla potest esse remissio peccatorum, quia solus pro peccatis satisfecit. Deus autem nullum remittit peccatum, nisi plenissimè pro ipso fuerit satisfactum. Illud enim requirit justitia ipsius immutabilis.

2. Gratiam illam Dei esse universalem, & ad omne hominum genus (non ad aliquos, & quidem paucos) extendi, sicut postea probabitur.

3. Gratiam illam & misericordiam Dei in hoc articulo opponi operibus, non autem fidei in Christum.

Cur hæc omnia tam diligenter observari debent?

Primò apparet inde falsum esse, quando dicitur Deum homines ad vitam æternam elegisse propter opera ipsorum met propria, quæ Deus ab æterno viderit. *Deinde*, ut calumniantibus os obstruatur, qui clamãt docerà nobis, electos esse homines *propter* fidem *tanquam*

quam aliquod meritum. Quod disertè negamus, dicentes, nos non propter fidem, sed propter Christum electos esse ad vitam æternam, attamen per fidem in Christum: Eodem planè loquendi modo, sicut justificari & salvari dicimur non propter fidem (tanquam meritum) sed propter Christum, fide tamen in ipsum. Quæ omnia postea clarius demonstrabuntur.

In quo fundata est Electio?

In Christo Iesu mediatore & salvatore nostro unico. In ipso enim & per ipsum electi sumus, *Eph.1.v.4.5.11.* imò ipse nos elegit, *Ioh.13. v.18.c.15.v.16.19.* Quemadmodum etiam in ipso & per ipsum justificamur, & ipse est factus nobis justitia, ipse nos justificat & salvat, *Act.4.v.12.c.10.v.43.c.15.v.11.Rom.3.ver.24. 25.c.5.v.17.19.1.Cor.1.v.30.2.Cor.5.ver.18.19. Gal.2.v.16.17. Hier.33.ver.6.* Hinc illud est, quòd Christus appellatur liber ille vitæ, in quo electorum nomina consignata sunt, liber Dei, quem ipse scripsit, liber vivêtium, &c. *Phil.4.v.3. Exod.32.v.32. Ezech.13.v.9 Dan. 12.v.1.Psal.69.v.29.Apoc.13.v.8.c.20.v.12.15. Luc.10.v.20.*

Sed dicunt non nulli ideò in Christo nos esse electos, ut simus in ipso?

Non dicit Paulus electos nos esse εἰς Χριστόν, in Christum, vel ad Christum, sed in Christo, & per Christum, tanquàm dilectum, qui propter ipsum & in ipso Deo *accepti*, & in filios ex gratia *recepti* sumus. Corrumpunt igitur sic fanatici isti Spiritus Sancti Sermonem, subvertentes, quantum in ipsis est fundamentum fidei, quod est Christus Jesus, *1. Cor. 3. v. 11.*

Explica hæc nonnihil uberius?

Omnia isthæc evidenter exinde cognosci possunt, quia immutabilis Dei justitia peccata non remittit, nisi plenissimè pro ipsis satisfactum fuerit: Et cùm Deus ab æterno prævideret homines in peccata prolapsuros esse, non potuisset peccatores recipere, & pro filiis suis agnoscere (contra veritatem & justitiam suam) sed ad mortem & orcum damnavisset: Ibi æternus DEI Filius medium sese interponens spopondit, se pro peccatis humani generis satisfacturum. In hac igitur sponsione & intercessione Filii DEI fundatur Electio, ut aliter non, quàm in solo Christo, & per ipsum, & propter ipsum, illi ad vitam æternam ordinati & electi fuerint, qui perseveranter in Christum essent credituri. Conspicitur hîc ergò admiranda contemperatio divinæ justitiæ & misericordiæ. *Justitia*: quia

Filius

Filius Dei semetipsum ceu peccatorum expiatorem sistit: *Misericordiæ* quòd omnes Christi actiones & passiones fidelibus imputantur, non secus ac si ipsorum essent propriæ: Sicut hæc omnia in doctrina de justificatione hominis peccatoris coram Deo pluribus deducuntur.

Sequitur porrò in Definitione, quod Electio facta sit juxta propositum Dei: *Quodnam est illud propositum?*

Propositum hoc Dei non est arcana, abscondita & absoluta voluntas, ut Calviniani nugantur, in qua Deus ab æterno citra ullum respectum Christi & fidei, vel incredulitatis absolutè & simpliciter ex mero beneplacito paucos quosdam homines ad æternam salutem, cæteros verò omnes ad æternam damnationem ordinârit ac destinârit. Quod dogma horrendum & blasphemum est, ob quod Christianum pectus meritò exhorrescit: Sed hoc Dei propositum, consilium, voluntas & beneplacitum est decretum æternum, quod SS. Trinitas disposuit in Christo mediatore & servatore hominum, & per Evangelium nobis revelavit, ut omnes in Christum credentes, nõ pereant, sed vitam æternam habeant, velut ipse Dei Filius, σῶμα illud καὶ θεμέλιον ἀληθείας,

testatur *Ioh. 6. v. 40. Hæc est voluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Atque *hoc Dei propositum complectitur totum ordinem nostræ salutis, & omnia illa media, quæ Deus ordinavit ad nos salvandum*, sicut Paulus artificiosè copulat & connectit propositum Dei, & gratiam in Christo Jesu, ante tempora æterna nobis datam, & nunc per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi manifestatam, *2. Tim. 1. vers. 9. 10.*

Sed dogma de arcano & abscondito decreto, voluntate & proposito Dei adeò perniciosum & blasphemum dici, multi graviter & acerbè ferunt?

Consilium ac propositum Dei in multis esse imperveſtigabile, & inprimis etiam in loco de Prædestinatione multa ardua ac difficilia mysteria occurrere, quæ nos rimari & indagare non possumus, utrinq; notum est, & negari non potest, *Psal. 36. v. 7. Rom. 11. v. 33.* De hoc verò propriè est quæstio, utrum voluntas, consilium, propositum & beneplacitum Dei, *quoad salutem nostram* occultum & arcanum, an potius in Evangelio per Christum nobis revelatum sit? Ad quod respondemus sonorâ voce, sicut D. Apostolus *Ro. 16. v. 25. 26.* scribit, *quòd mysterium temporibus æternis tacitum, nunc patefactum sit per scripturas Prophetarum,*

secun-

secundum *præceptum æterni Dei. Et Ephes.1. vers.9. Notum fecit nobis mysterium voluntatis suæ secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare. Vide etiam 1. Cor.2.v.7. Ioh.1.v.18, Matth.11.v.25.2.Tim.1.v.9.10.Eph 3.v.9.10.*

Ea ratione Christianus homo de arcano Dei decreto non deberet esse sollicitus?

Utique. Et manendum est cuivis in verbo Dei revelato, in quo Dei voluntatem certam habet & veram, cui tutò etiam fidere initiq; potest. Qui verò de arcano & occulto Dei decreto tam multa & scire & loqui volunt, ii non graventur nobis significare, unde voluntatem illam absconditam didicerint hausetintque. Ex revelato Dei verbo non hauserunt, aliâs enim non esset abscondita, sed revelata. Ex quibus necessariò sequitur, decretum illud in proprio ipsorum cerebello fictum & pictum, natum & ornatum esse. Quisquis igitur somniis & commentis humanis fidem majorem adhibere vult, quàm Dei verbo, & ita sponte falli ac decipi cupit, suam sibi habeat sententiam, suumque judicium. Satis abundè admonitus est. Habemus nos vocem cœlestis patris de filio suo Domino nostro Jesu Christo: *Hunc audite, Matth.3.& 17.* Vin' igitur

scire Dei consilium ac beneplacitum, adspice Christum in officio suo & in toto Evangelio, etiam in Sacramentis, ibi ipsum invenies, vereque & in dubitatò statues, te rectè sentire, neque errare te posse.

Sed dicunt quidam voluntatem Dei esse duplicem Deumq; sæpius aliter, quàm secum, decreverat, agere in verbo revelato; illudq; exemplis comprobare conantur?

Omnibus hominibus ἀγλωσσία vitio vertitur odioque habentur, quando aliud loquũtur, & aliud in pectore clausum tenent. Deum igitur æternum & immutabilem, qui veritas ipsa est & fallere non potest, tanti criminis velle arcessere, extrema sanè esset blasphemia. Quia tamen in scripturis nihilominus quandoque dicta occurrunt, quæ exterius sibi contrariari videntur, pii veteres pulchram & utilem distinctionem efformaverunt inter illa dicta, quæ loquuntur de voluntate Dei ἡγεμόνη & antecedente: & inter illa, quæ de voluntate Dei ἑπομένη & consequente.

Quam vocant voluntatem Dei antecedentem?

Antecedens Dei voluntas est universalis gratia & misericordia Dei, qua vult ut omnes homines salvi fiant. Quò pertinent testimonia de missione filii Dei, ut pro toto mundo luat,

luat, & ut Evangelium de Christo in omni orbe annuncietur inter omnes gentes & populos, & omnes homines pœnitentiam agant, & ad Christum convertantur *Iohan. 3. v. 16. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. Matt. 23. v. 39. Ezech. 18. v. ult. c. 33. v. 11. Act. 17 v. 30.*

Quid v est voluntas Dei consequens?

Voluntas Dei consequens est justissimum Dei judicium in homines, prout erga Evangelium sese exhibuerunt quâ credentes in Christum salvat: incredulos autem & impœnitentes condemnat & punit, *Ioh. 3. v. 18. c. 6. v. 46. Marc. 16. v. 16.*

Suntne hæ voluntates in Deo contrariæ?

Absit. Sed una potius est voluntas, quæ nō uno modò consideratur. Vera n. & seria Dei volūtas est, ut omnes homines salvi fiant. Sed non ita simpliciter & absolutè, verū hoc modo, & hoc ordine, ut Evangelium audiant, ex illo Christum cognoscant, & firmiter in ipsum credant. Qui verò Evangelio obluctantur, & gratiam oblatam respuunt, eos ex justo suo judicio contemnabit. Utrumque igitur verum est. Deus vult omnes homines salvos fieri, nimirū secundū voluntatē antecedentē, h. e. ea ratione & modo, ut omnes pœnitentiā agant, Evangelium audiant, & in Christū credant. Et contrà Deus nō vult, ut homines increduli salvi fiant. sed ut contemnentur intel-

lge secundùm voluntatem consequentem, hoc est, quia consilium Dei adversus semetipsos spreverunt, *Luc.7.v 30.* Verbum Dei repulerunt, *Act.13 v.46* & Spiritui sancto restiterunt, *Act.7.51.* Justum igitur Dei judicium hoc est, ut in æternum pereant, & æternæ damnationi subjaceant.

Sed dicit Scriptura, Quæcunque voluit Deus, fecit, Psal.115.v.3. *Si igitur vellet omnes homines salvos fieri, omnes etiam salvarentur. Quis enim prohibebit, ne Deus, quod vult faciat?*

Ad hoc iam dum responsum est: Deus vult omnes homines salvos fieri non simpliciter & absolutè, sed hoc ordine & ratione, ut per prædicationem Evangelii in Christum credant: Qui igitur non credunt, eos non salvabit, sed damnabit.

Suprà dictum est, Electionem factam esse secundùm prænotionem: illud uberius mihi explicari velim?

D. Paulus ita loquitur *Rom. 8. v. 29.* & D. Petrus *1. epist. 1. v. 2.* Et hunc habet sensum. *Quos Deus ab æterno in infallibili sua notitia præscivit, per Evangelii auditum Spiritus Sancti gratia in Christum perseveranter credituros, eos prædestinavit sive elegit ad vitam æternam.*

Re-

Refertur igitur hæc præscientia & prænotio ad fidem in Christum?

Sententia hæc D. Pauli & D. Petri est certissima, cum qua tota Sacra scriptura concordat. Et ordo exquisitus est textûs Apostolici, *Rom. 8. Eph. 1 2. Thess 2. & 1. Pet 1.* Primùm mentio fit divini propositi, in quo omnia illa continentur, quæcunque ad salutem nostram requiruntur. Deinde accedit prænotio sive præscientia, quâ Deus cognoscit, qui juxta illud Dei propositum se conformaturi, & in Christum credituri sint.

Hic v. multi homines fanatici validis conatibus sese opponunt, ajentes Pelagianum hoc esse & hæreticum, neque per hanc præscientiam, intelligi aliud, quàm ipsum Dei propositum, dilectionem, & prædestinationem ipsam?

Errorem Pelagianorum D. Augustinus fortiter & firmiter profligavit, neque nos quicquâ eum illo commercii habemus, sed pariter clara voce eum damnamus ac reprobamus. Hi putabant, fidem consistere in viribus humanis, & illos ad vitam æternam eligi, qui ex libero arbitrio & propriis viribus in Christum essent credituri. Contrà docemus nos ex Dei verbo, fidem non provenire ex viribus huma-

humanis aut ex libero arbitrio, sed esse donũ Dei eamque operari atque accendere spiritũ S. in cordibus nostris per auditum & meditationem Evangelii & usum Sacramentorum. Splendida ergo nobis fit injuria coram Deo & omnibus electis, quando Pelagianissimi arcessimur, quem ex animo detestamur, & fundamentis Sacrarum literarum funditus evertimus. Esse autem præscientiam Dei non ipsam prædestinationẽ sive electionẽ, sed ab ea distingui (non tamen separari) D. Paulus clarissime ostendit, quando scribit *Rom. 8. v. 29. Quos præcognovit sive præscivit, hos etiam prædestinavit &c. Et D. Petr. 1 ep. 1. v. 1. 2. Electis juxta præcognitionẽ Dei.* Ineptè n. diceretur. Quos Deus ordinavit, hos ordinavit. Quos prædestinavit, hos prædestinavit. Item: Elegit nos secundùm electionem. Per præscientiã igitur & præcognitionem in locis allegatis intelligitur, Deũ ab æterno prævidisse ac præscivisse, quinam perseveranter in ipsum essent credituri, eosque prædestinasse & elegisse ad vitam æternam. Ac proinde certum est & immotæ veritatis, quod illa prævisio sive præscientia fidei in Christum comitem habeat individuum divinam approbationem. Quemadmodum enim DEO patri complacuit in filio suo, *Matth. 3. vers. ultim. cap. 17. vers. 5.* Ita

etiam

etiam paterni complectitur, amet & fovet omnes, qui filio illi suo dilecto per veram fidem inserti sunt, eique adhærent, quod Paulus egregiè illustrat *Eph. 1.*

Quinam est terminus ad quem *Electionis*?

Ordinati sumus *ad vitam æternam*, *Act. 13. v. 48.* Sicut in Christum credimus ad vitam æternam, *1. Timoth. 1. v. 16.* DEUS nos elegit ad salutem *2. Thess. 2. v. 13* Quos prædestinavit, hos & glorificavit, *Roman. 8 vers. 29 30.* Alias etiam Paulus officium electorum sic describit *Ephes. 1. vers. 4.* Elegit nos, ut essemus sancti & irreprehensibiles in conspectu ejus in charitate. Quia enim initio conditi eramus ad imaginem Dei, & nunc per Christum ad ipsam reformati & renovati, æquum est & justum, ut vitam nostram secundùm illam imaginem conformemus. Decet enim sanctos esse filios Dei, sicut pater ipsorum sanctus est. *Levit. 20. v. 26.*

Verùm sequitur ex his nos, antequam ad vitam electi essemus, morti & damnationi æternæ obnoxios fuisse?

Ita est. Propter peccata enim æternùm nobis pereundum fuisset, nisi Deus ex mera gratia & misericordia in Christo ad vitam

æter-

æternam nos elegisset. Nam licèt lapsus Adami nõ ab æterno, sed haud multò post hominem conditum acciderit, Deus tamen illum ab æterno prævidit ac præscivit, quia nihil ipsi absconditum, nihil quoque præteritum, nihil futurum, sed omnia præsentissima. Sicut igitur nos homines per Evangelium ad Christum in tempore vocamur: ita Deus ab æterno sibi proposuit mittere filium, ut per eum nos liberet, per eum ad Evangelium nos vocet, & per fidem in ipsum salvet. Totum igitur electionis opus directum est ad Dei gloriam, & nostram salutem.

Quodnam est obiectum Electionis, vel quinam sunt illi, qui ad vitam æternam ordinati & electi sunt?

Nos homines, miseri peccatores, qui in Adamo lapsi iræ Dei, mortis & æternæ damnationis rei facti sumus, nõ tamẽ absolutè, præcisè & simpliciter & sine discrimine omnes, sed nos qui credituri sumus in Christum ad vitam æternam, ut *D. Paulus 1. Timoth. 1. vers. 16.* docet.

Annon & boni Angeli electi sunt ad salutem?

Prædestinatio filiorum Dei tantùm complectitur homines, & non Angelos. Et neque Evangelium neque Sacramenta neque vocatio

cario, neque justificatio per fidem Angelis attribui potest, sed solis hominibus.

Suntne verò omnes homines electi?

Disertè Christus inquit: *Multi sunt vocati, pauci electi Matth. 20. v. 16. cap. 22. v. 14.* Unde ἀναπλήκτως verum est, non omnes homines, sed quosdam tantùm ad vitam æternam electos esse. Sicut & non omnes, sed quidam tantùm homines salvantur. Omnes autem quæ electi sunt, salvantur. *Rom. 8. vers. 29. 30.*

Qui verò sunt illi pauci, qui electi sunt?

Pauci vocantur συγκριτικῶς & in comparatione ad longè maximam multitudinem reproborũ, licèt alias multa millia electorum sint. Et quando ex fundamentis Scripturæ responderi debet, dicendum est illos tantùm esse electos, qui perseveranter usque ad finem in Christum crediturí sunt.

Sed dicunt alii, Deum ab æterno totum genus humanum in duas classes in absoluto & occulto suo decreto distinxisse, & maximam hominum partem æterno supplicio, minimam verò saluti æternæ devovisse?

Tale fatum Stoicum in tabulis Parcarũ licebit invenire: Scriptura verò longè aliter de eo loquitur, ut postea ex testimoniis, quorum

magnâ copiâ adducemus, luce meridiana clariùs patebit. Et si Calviniani omnes animi & ingenii sui vires confertim adhiberent, in æternũ tamen probare firmiter nõ poterunt, Deũ vel unicũ saltem hominẽ absolutè & simpliciter ad mortem & æternam damnationem condidisse & devovisse, vel ideò ipsum fecisse, ut laberetur & peccaret, quod non pauci ex Calvinianis scriptis publicè editis adferere (blasphemè) non sunt veriti. De quo posteà pluribus agendum erit.

Stabiliri mihi velim sententiam tuam, qua putas eos ad vitam æternam electos esse, qui constanter ad finem usque in Christum credituri sunt?

Clarè & perspicuè tibi ostendam. Repeto autem & diligenter iterum moneo, ut calumniis & depravationibus aliorum occurram, sententiam nostram nullatenus esse, quasi ob prævisam fidem *tanquam causam meritoriam, sive propter meritum aut dignitatem fidei* electi simus, quod ἀπροσώπως negamus. Et mera calumnia est quorundam, qui nos Pelagianæ hæresæos interpolatores esse dictitant. Verum affirmamus, asserimus & docemus ex & cum Dei verbo, esse nos electos ἐν πίστει ἀληθείας, in fide veritatis, *2. Thess. 2. vers. 13.* ἐν ἁγιασμῷ

ἁγιασμῷ πνεύματος & *in sanctificatione Spiritus 1. Petri 1. vers. 2.* hoc est, per ministerium Evangelii quo Spiritus Sanctus nos sanctificat, fide purificans corda nostra, *Actor. 15. vers. 8.* Et CHRISTUS: *Qui perseveraverit, inquit, usque ad finem, salvus erit, Matth. 10. vers. 22. cap. 24. vers. 13.* Et D. Paulus electos sic describit, ut *in CHRISTUM credere debeant ad vitam æternam, 1. Timoth. 1. vers. 16.*

Ut μεθοδικῶς agamus, argumenta nonnulla adducam.

Quod primum argumentum?

Manifesta sunt Scripturæ testimonia de æterna illa Dei voluntate, per Evangelium nobis manifestata, quòd non nisi in Christum credentes sint salvi, *Joh. 3. vers. 16. cap. 6. vers. 40. 2. Timoth. 1. vers. 9. 10. 1. Corinth. 1. vers. 21. Iacob. 2. v. 5.* Ex quibus & aliis similibus Scripturæ dictis apparet, æternum Dei consilium, propositum ac voluntatem esse, ut, qui in filium suum Jesum Christum per prædicationē Evangelii credunt & in fide divites sunt, in eaque constanter perseverant, salutem æternam habeant. Sic ex loco ad *Ephes. 1. cap. vers. 12. 13.* Colligitur eos ad vitam prædestinatos esse, qui sperant in CHRISTO per Evangelium. Et *2. Thessalon. 2. vers. 13.*

& 1. Pet. 1. v. 1, 2. dicitur nos electos esse *per sanctificationem spiritûs* (per quam intelligitur ministerium Evangelii, quod est ministerium Spiritus Sancti 2. Cor. 3. v. 8. per quod nos sanctificat) & *fidem veritatis*, vel veram fidem, quam Spiritus Sanctus per Evangelium in nobis accendit & excitat. Quam D. Petrus vocat ὑπακοὴν, obedientiam, sicut & Lucas Act. 6. v. 7. loquitur, quòd multi obedierint fidei. Et D. Paulus *Rom. 10. vers. 16. & 2. Thess. 1. vers. 8.* Non omnes, inquit, obediunt Evangelio; *Rom. 1. v. 5.* vocat obedientiam fidei, sicut *c. 16. v. 26. & 2. Cor. 10. v. 5. vocat obedientiam Christi.*

Est igitur Apostolicum pronunciatum: *Electi sumus ad vitam æternam per ministerium Evangelii & fidem in Christum.* Unde & D. Paulus de se ait *Tit. 1. v. 1.* quòd sit servus Dei, & Apostolus Jesu Christi, secundùm fidem electorum Dei. Et statim postea mentionem facit prædicationis Evangelii quippe ex quâ fides illa oriatur. Vide & *Romanor. 10. vers. 17.*

Dic & secundum argumentum?

D. Paulus *2. Timoth. 1. v. 9.* Deus nos liberavit, inquit, & *vocavit vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Je-*

ste Iesu ante tempora æterna: Manifestata autem est nunc per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi. Ex quibus ἀναντιφατικῶς apparet, nos *secundùm illud ipsum propositum & gratiam in Evangelio nobis manifestatam, in Christo electos* esse. Jam omnes Christianos fateri oportet, nec inficias ire quisquam potest in Evangelio gratiam Dei in Christo non aliter, quàm per fidem apprehendi. Unde necessariò consequitur, etiam propositum & gratiam Dei in Christo, per quam ad vitam æternam eligimur, respicere fidem in Christum, & ita nos verè per fidem in CHRISTUM electos esse.

Quodnam est tertium argumentum?

Quicquid Scriptura enunciat de nobis hominibus in Christo & per Christum, illud dicitur cum respectu ad fidem, qua Christus in promissionibus Evangelicis apprehendendus est: juxta illud *Joh. 20. v. ult.* Hæc *scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Atqui Scriptura enunciat de nobis hominibus, quòd simus electi *in CHRISTO* & *per CHRISTVM. In CHRISTO* tanquam salutis fundamento unico: *per Christum*, tanquam unicum vitæ & salutis au-

thorem & redemptorem, *Actor. 4. vers. 12. cap. 10. vers. 43. cap. 20. vers. 28. Roman. 3. vers. 24. 25. Hebr. 4. 7. 8 9. 10. 1. Iohan. 2. vers. 1. 2.* Quare certum est æternam electionem etiam respicere fidem in Christum. Atque hoc modo multi ex patribus locum Pauli, *Ephes. 1.* exposuerunt. *Deus nos elegit per Christum* hoc est, *per fidem in ipsum*, ut Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus. Et idem quoque sensit Augustinus, quando scribit Deum nos elegisse in Christo, hoc est, *membra in capite.* Jam verò membra sumus per fidem, & sic in ipso filii & hæredes Dei, *Ephes. 1. vers. 5. Romanor. 8. v. 17. Gal. 3. v. 26.* Et subministrat nobis testimonium Pauli hoc quoque argumentum, quòd υἱοθεσία sive adoptio in filios fundetur in fide in Christum. Quia igitur Deus nos prædestinavit in adoptionem filiorum in ipsum per Jesum Christum, secundùm beneplacitum voluntatis suæ, *Eph. 1. v. 5.* certum est & clarum, factum id esse per fidem in Christum Jesum, in quo υἱοθεσία illa consistit. Et sic utrumque verum est. Dum nos Deus eligit ad vitam æternam, in filios Dei nos adoptat in Christo. Et: Dum nos adoptat in filios & hæredes, eligit nos ad vitam æternam in Christo. Quæ omnia fiunt per fidem in ipsum.

Cedò

Cedò & quartum argumentum.

Quicquid in Evangelio nobis offertur ad nostram salutem, requirit fidem, ut omnibus rectè sentientibus constat. Jam verò gratia Dei, quâ in Christo ad vitam æternam electi sumus, in Evãgelio nobis offertur ad nostram salutem, ut Paulus testatur. *2. Timoth. 1. vers. 9. 10.* Quare gratia illa Dei, requirit fidem, qua à nobis apprehenditur & applicatur.

Plurane superfant argumenta?

Plura utique proferri, & petenti monstrari possunt. In primis verò accuratè contemplabimur & expendemus auream catenam D. Pauli. Rom. 8. in qua gradus elegantissimè sunt connexi. I. Præscientia sive prævisio fidei. 2. prædestinatio. 3. vocatio. 4. justificatio, 5. glorificatio. Unde hic ordo observandus: Quos Deus ab æterno prævidit & præscivit per Evangelium virtute Spiritus Sancti constanter in Christum credituros, eos elegit ad vitam æternam; eos certo tempore vocari jussit per ministerium verbi, & per fidem in CHRISTUM justificavit, tandem etjam glorificaturus in regno cœlorum.

Fides igitur nullo modo excludi à prædestinatione potest.

Sed nolunt Calviniani admittere, quòd Dei præscientia referatur ad fidem hominum?

Illis breviter respondebo. Oportet istam Dei præscientiam ad certum quid referri, ut omnes cordati Christiani fatentur. Jam verò non refertur ad bona opera, ut Monachi somniârunt, contra quod Paulus vehementer pugnat, *Roman. 9. vers. 11. 12.* Nec aliud quidpiam dari potest, ad quod referatur, quàm sola fides in Christum, in quo uniço & uno omnis nostræ salutis cardo vertitur. Vanum igitur Calvinianorum κρυζφύγετον est, & subsistere nullo modo potest.

Clarius hæc mihi monstres velim?

Nota hanc regulam, quæ in multis apprimè utilis esse potest. *Inter æternum DEI propositum, Consilium & voluntatem, & inter eiusdem complementum est perpetua, certa & constans proportio.* Nam quod Deus ab æterno decrevit & ordinavit, illud ipsum etiam eo modo, quo decrevit, in effectum deduxit & adimplevit tempore definito. Et contrà, omnia, quæcunque Deus facit, ab æterno ita facere decrevit, & non aliter: Siquidem voluntas ejus est invariabilis, & non mutatur, *Malach. 3. vers. 6. Jacob.*

Iacob.1.v.17. Cùm igitur Deus in plenitudine temporis, Filium suum in mundum miserit, ut incarnatus fuerit, & pro genere humano satisfecerit, & verò per Evangelium in omni orbe hoc sit annunciatum, ut omnes, qui in ipsum credunt, non pereant, sed vitam æternam habeant: nemo dubitabit, quin illud, eâ ratione & modo, quo evenit, in æterno Dei consilio & proposito decretum fuerit, sicut id ὀφθαλμοφανερῶς apparet ex omnibus illis dictis, quæ testantur mysterium illud temporibus æternis tacitum, nunc patefactum esse per Evangelium, Rom.16.v.25.26. Eph.1.v.8.9. 1. Cor.2.v.7.8.9.10. 2.Tim.1.v.9.10. Verum igitur est & manet, quòd æternum Dei propositum & voluntas sit, istos, qui perseveranter in Christuum credituri sunt, electos esse ad vitam æternam. Et quemadmodum per fidem in Christum justificamur: ita etiam per eandem fidem in Christo ad vitam æternam sumus electi. Atq; justificatio nostra, eamq; consequens glorificatio complementum est æternæ prædestinationis. Ac proinde inter ipsa proportionem esse oportet talem, ut in hac neque plus neque minus, quàm in altera reperiatur: Et extra omnem dubitationis aleam positum est, quòd per fidem in Christum nos justificemur, ex quo consequens est, quòd etiam per fidem in Christo electi simus. Summa

Excluſa fide in Chriſtum in æterna Electione, Chriſtus ipſe excluditur, quod è diametro pugnat cum D. Paulo.

Sed obiiciunt Calviniani, Fidem eſſe fructum electionis, ejuſq; conſequens, & non antecedere ut cauſam, quod probant authoritate D. Auguſtini & B. Lutheri, in præfatione Germanica in Epiſt. ad Rom.

Fides, ſi propriè & accuratè loqui velimus, eſt ex auditu Verbi Dei, *Romanor. 10. verſ. 17.* Verbum Dei eſt à Chriſto, qui voluntatem Patris nobis revelavit, *Iohan. 1. verſ. 18.* Chriſtus verò nobis datus eſt ex immenſa dilectione Patris, *Iohan. 3. verſ. 16.* Et ſic habemus primam originem, primumque fontem omnium Dei beneficiorum, nimirum immenſum ejus amorem, gratiam & miſericordiam erga nos homines perditè miſeros, & miſerè perditos: ac proinde omnia illa, quæcunque ad ſalutem noſtram pertinent, verè & merè ſunt gratuita. Neque aliud docetur, vel ab Auguſtino, vel à D. Luthero. Et ne quis D. Lutheri verba in alienum ſenſum torqueat, (quod Calviniſtæ faciunt) ſtatim ſubjungit graviſſimam exhortationem: Hie iſt den Frevelern vnd hochfahrenden Geiſtern (den Calviniſten) ein Meihl zu ſtecken / die jhren Verſtand am erſten hieher führen / vnd oben anheben / ꝛc. Vide

etiam

etiam Latinum Commentarium in *26. caput Genes.* in quo fideliter, diligenter ac seriò à fanaticis istis spiritibus nos dehortatur, & quasi digito ostendit, quomodo verba ipsius sint corrupturi, eisq; alienum & peregrinum sensum afficturi, quo nunc temporis apud Calvinianos nihil est frequentius, ut proinde vaticinium Lutheri nimis quàm verum factum fuerit.

Solent etiam apponere locum, Act. 13. v. 48. *credebant, quotquot ordinati erant ad vitam æternam?*

Locus hic luculenter sententiam nostram confirmat, & adversam destruit. Illic mentio fit divinæ τάξεως & ordinationis, quæ accuratissimè describitur, nimirum quòd illi, qui prædicationem Evangelii non contemnunt & spernunt (ut Judæi faciebant, *vers. 45. 46.*) sed cum gaudio audiunt & glorificant (ut gentes, *vers. 48.*) sint ordinati ad vitam æternam. Et illi credunt in Christum, & perseverant usque ad finem. Quòd tota historia in Actis Apostolicis evidenter comprobat.

Propriè de re loquendo, scire cupio, utrum fides in Christum ex electione oriatur, & sic eam consequatur: an verò præcedat, ut instrumentum & medium, quo gratia Dei nos eligentis apprehenditur?

Ut

Ut solidè respondeamus, cautè & circumspectè hîc nobis est loquendum. Nam D. Lutherus & alii sæpè per electionem intelligunt omnia, quæ ad salutem nostram requiruntur: Et tunc rectè dicitur, etiam fidem nostram in eâ comprehendi, ex eaq; provenire. Est enim merè gratuitum Dei donum. Contrà verò, quando distinctè loquimur de amore Dei, *Ioh. 3. v. 16.* de Christo & ejus officio, de Evangelio, & virtute ejus, & de fide: dicendum nobis est cum D. Paulo & D. Petro esse nos electos (quemadmodum etiam justificamur) per fidem, sive in fide in Christum, *2. Thess. 2. v. 13. 1. Pet. 1. ver. 1 2.* ut ita fides medium sit & organum, quo Christum apprehendimus, & in Christo gratiam Dei, nos eligentis ad vitam æternam.

Sed quomodo hoc esse potest? Etenim Electio facta est ab æterno, fides verò non est ab æterno, sed demum per prædicationem Evangelii certo tempore accenditur?

Argumentum hoc nihil concludit. Nos enim homines non ab æterno, sed certo tempore nascimur, & nihilominus tamen in Christo ante jacta mundi fundamenta electi sumus. Quocirca considerandum hîc est, quomodo Deus ab æterno omnia præsciverit, præ-

prævideritordinaverit & decreverit. Sicut igitur nos, qui nondum nati eramus, in Christo elegit ab æterno: ita ab æterno etiam præscivit ac prævidit, quòd Evangelium nobis sit annunciandum, nosq; in Christum crediturí, & ita salutem æternam adepturi fuerimus. Id quod D. Paulus egregiè illustrat, *2. Tim. 1. v. 9. 10.* Quod testimonium suprà aliquoties allegavimus.

Hac ratione Fides constitueretur causa Electionis?

Quemadmodum justificamur per fidem in Christum, & nihilominus justificatio manet opus gratuitum: fides enim non promeretur justitiam, sed apprehendit eam in Christo nobis promerente & conferente: Ita etiam electi sumus in Christo, per fidem in ipsum, & nihilominus Electio manet gratuita: siquidem fides non promeretur electionem, sed apprehendit gratiam Dei in Christo, per quam electi sumus. Est igitur & manet fides nihil aliud, quàm medium sive instrumentum, vel quasi manus, quâ gratia Dei in Christo apprehenditur & tenetur, quomodo suprà nos diligenter munivimus, & magna cautione diximus, nos non propter fidem tanquam meritum, sed per fidem, tanquàm unicum illud à Deo ordinatum ac definitum medium, electo

ctos esse, & per illam etiam unam & solam nos justificari & salvari.

Suprà mentio facta est perseverantiæ in fide: de qua mihi plura velim edisseras?

Dictum Christi clarum est & perspicuum: *Qui perseveraverit usq; ad finem, salvus erit, Matth. 24. v. 13. Marc. 5. v. 17. Luc. 8. v. 15. cap. 21. v. 19. 1. Tim. 1. v. 18. 19. Apoc. 2. v. 10.* Unde consequitur electos perseverare usque ad finem. Et eos, qui in Christo perseverant usque ad finem, esse electos.

Sed dicit Scriptura sæpius absolutè, Qui credit, salvabitur?

Verum hoc est: *Qui credit, salvabitur.* Qui vero fidem amittit, securitati indulget, voluptatibus mundi se mancipat, aut alia scelera & peccata committit, & in impœnitentia obit ac moritur, de illo pronunciat Deus, *Ezech. 18. v. 24. Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non commentabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.*

Verùm ita non omnes, qui credunt, electi essent?

Illi sunt electi, qui finaliter in fide perseverant.

rant. Qui vero à fide deficiunt, neque ad Deum revertuntur, non sunt electi.

Sic nemo de salute sua certus esset: Etenim justus in die cadit septies? Et nos omnes miseri & ad peccandum proclives sumus?

Justus in die cadit septies, sed resurgit, inquit Salomon, *Prov.24.v.16.* Nam, ut est in *Psal.37.* Cùm ceciderit, non projicietur, quia Dominus supponit manum suam: Et propter nostram infirmitatem, non in nobis ipsis, sed in Deo fiduciam nostram ponemus, & ab eo auxilium in omnibus omni tempore petemus. Consistit ita certitudo fidei nostræ non in nobismetipsis (aliâs mox de nobis actum esset.) sed in Dei gratia, in verbo ipsius nobis promissa.

Ex sacris literis hæc mihi velim demonstres?

Electi in Verbo Dei sic describuntur, qui *manent in Sermone* Christi, *Ioh.8.v.31.* qui perseverant ad finem, *Matth.24.v.13.* qui permanent in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe Evangelii, *Col.1.v.23.* qui perstât in bono *Ro.11.v.22.* qui fiduciam & gloriam spei usq; ad finem firmam retinent, *Heb.3.v.6.* qui se nó iterum subducunt, *Heb.10.ver.38.* qui se non

avert-

avertunt iterum à sancto præcepto, *2. Pet. 2. v. 21.* Sed retinent fidem & bonam conscientiam, *1. Tim. 1. v. 19.* & fideles reperiuntur usque ad mortem, *Apoc. 2. v. 10.*

Quòd si verò fidelis ex infirmitate peccaret, vel peccata mortalia (conscientiam vastantia) committeret, ut David & alii sancti, an nihilominus esset electus?

Qui peccat securè, & cum complacentiâ, & perseverat in impœnitentia, electus non est, sed reprobus. Si verò Christianus peccet, & agnoscat peccata sua in verâ pœnitentiâ, petens vera fide à Deo peccatorum remissionem, & toto corde se ad Dominum convertat, non morietur, sed vivet, sicut *Ezech. 18. ver. 21.* scriptum est. Hunc igitur sensum habet Christi dictum: Qui perseverat usque ad finem, salvus erit, hoc est, qui in fide constanter manet, & licèt quandoque labascat, ad Deum tamen rursus convertitur, atque ita in vera fide perseverat, salvus erit, vereq; est electus Domini, & hæres vitæ æternæ.

Quomodo verò homo certus esse potest se in fide finaliter perseverare?

Potest sine dubio certus esse, si manet in vera pietate, diligenter audit verbum Dei, & medi-

meditatur die ac nocte, si reverenter utitur Sacrâ Domini Cœna, si ambulat juxta præscriptum verbi Dei, ardenter orat, & à peccatis & sceleribus sibi caver. Habet enim pro fundamento spei suæ ipsius Dei promissiones, juramenta, sigilla justitiæ Sacramenta, pignus Spiritus Sancti, qui testimonium dat nostro spiritui, nos filios Dei esse, neq; divellere nos quicquam posse à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Sed videntur Calviniani majorem & meliorem habere certitudinem, quando docent veram & vivam fidem penitus amitti non posse: sed illum, qui semel fidem habuerit, ab illa nunquam post excidere?

Enormis hic error est Anabaptistarum, damnatus in Augustana Confessione, articulo XII. Et repugnat toti Scripturæ Sacræ, quæ non solùm ubivis testatur, quòd justus à justitia sua sese avertere possit, *Ezech. 18. v. 24.* quòd illi, qui sunt in Christo, si secundùm carnem vixerint, moriantur, *Ro. 8. v. 13.* quòd bonam conscientiam repellentes fidei naufragium faciant, *1. Tim. 1. v. 19.* quòd multi cadant, & ab Oleastro defracti sint propter incredulitatem, *Rom. 11. v. 11. 20.* quòd illi, qui fornicantur, ex membris Christi faciant membra meretricis;

1. Cor. 6. v. 15. 16. quòd in novissimis temporibus quidam à fide sint discessuri. *1. Tim. 4. v. 1.* verum etiam fideliter adhortatur omnes fideles, ut in fide constanter perseverent, neque sè à quovis vento doctrinæ abripi patiantur, à peccatis sibi caveant, ne istis polluantur, addita commination e, ne pœna ipsos obruat, & æternum pereant. Vide etiam *Matth. 12. vers. 31. 32. Heb. 6. vers. 4. 5. 6 cap. 10. vers. 26. 27.* descriptionem peccati in Spiritum Sanctum: quod tantùm ab illis committitur, qui veritatem agnoverunt, veramq; fidem habuerunt. Exempla petimus? Ecce statim occurrunt protoplasti, Adamus & Eva: si filialem suam in Deum fiduciam per peccatum amiserunt, cujus in locum terror & servilis timor successerunt. Et ut alia prætereamus, illustre est exemplum Davidis, qui non solùm, cùm antea renatus esset, veramq; & salvificem fidem habuit, in adulterium incidit, & homicidium commisit, sed & in illa securitate & impœnitentia per integrum fermè annum permansit, uti ex historia *2. Samuel. 11. & 12.* videre est: Quo certè tempore veram fidem & fiduciam in Deum non habuit, sed amisit, ita quidem, ut Beza ipse falsus fuerit, *2. parte Respon. ad Colloq. Mompelgard. p. 74.* Davidem, si in ista impœnitentia mortuus fuerit, damnatum fuisse. Et quid multis est opus demonstrationibus? De-

pre-

prehendit quivis verè Christianus in semetipso, quod, ſicubi contra Deum prævaricatus eſt, loco filialis in Deum fiduciæ, quam prius habuit, nihil ſentiat aliud præter metum, terrorem & angorem, donec tandem cum Deo reconciliatus fuerit.

Sed dicunt Calviniani, Davidem Spiritum Sanctum penitus non amiſiſſe, quia in Pſal. 51. v. 13. *oret:* Spiritum tuum ne auferas à me. *Ex quo ſequitur ipſum adhuc habuiſſe Spiritum Sanctum?*

D. Iohannes, *1. cap. 3. ver. 13. Homicida*, inquit, *non habet vitam æternam in ſe manentem.* Et D. Paulus, *Gal. 5. v. 19. 20. 21. Adulteri non hæreditabunt regnum cœlorum.* Unde patet, Davidem, quàm diu in peccatis illis hæſit, Spiritum Sanctum non habuiſſe, ſed ſub ira & pœna Dei detentum fuiſſe. Cùm verò è Nathanis concione ad peccatorum ſuorum agnitionem deductus & ad Deum converſus eſſet, *2. Sam. 12.* Pſalmum LI. compoſuit, ut ἐπιγραφὴ & inſcriptio Pſalmi oſtendit, in quo orat, ne Deus Pater Spiritum Sanctum auferre ab ipſo rurſus velit, ut olim factum erat, cùm in graviſſima illa peccata inciderat. Neque opus habuiſſet Davidis orare, ne Deus Spiritum Sanctum ab ipſo auferat, ſi verum eſſet, ut Calviniani garriunt, Spiritum Sanctum, ſicut & fidem penitus amitti non poſſe.

Objiciunt etiam Petrum, quem, cùm Christum abnegaret, Spiritum Sanctum & fidem non amisisse dicunt, eò quòd Christus pro ipso orârit, ne fides ipsius deficeret, Luc. 22. v. 32.

Oratio Christi pro Petro virtutem & efficaciam suam habuit in eo, quòd Petrus in ista sua abnegatione non perseveranter mansit, sed ex illa clementer rursum liberatus est. Nihilominus tamen cùm prima, secunda, tertia vice Dominum cum sui execratione abnegasset, fiducia in Christum in corde ipsius extincta est, ut plus timuerit homines, quàm Deum, & in diaboli nassa irretitus sine dubio in æternum periisset, si in abnegatione illa perseverasset, nisi per benignum Christi adspectum, & meditationem concionum ad ipsum à Christo habitarum, conversus fuisset; de quo Christus eodem modo dixerat, *Luc. 22. ver. 34. Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Sed videtur esse humanæ fragilitatis & infirmitatis metu mortis Christum abnegare?

Christus ipse, *Qui* me negaverit, inquit, *coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Neque est solius humanæ infirmitatis, se diris devovere, & Satanæ quasi mancipare, sicut Petrus in ternaria sua abnegatione

gatione fecit. Hoc poterit fortasse humana infirmitas vocari, cùm quis tempore periculi filet, & Christum publicè non confitetur: Dominum verò & Redemptorem suum abnegare, & quidem non una, sed terna vice cum sui devotione ac detestatione, nemo cordatus pro simplici infirmitate humana agnoscere & habere potest. Et testantur vetusti quidam Scriptores, quòd Petrus hunc suum casum per omnem vitam acerbissimè fleverit. Et sine dubio Christus post resurrectionem suam tertia vice ipsum interrogavit, utrum se diligeret, eique oves suas pascendas commendavit, *Ioh. 21. v. 15. 18. 17.* ut efficacem animo ipsius consolationem instillaret, contra futuras tentationes, quas Satanas propter abnegationem ipsius sit molituras.

Potest ne igitur, qui Christum abnegat, veram fidem in Christum retinere?

Christus disertè negat, *Matth. 10. ver. 33.* ut jam dictum est. Et D. Paulus firmissimo vinculo colligat fidem & confessionem, quæ separari non possunt, *Rom. 10. v. 11. 2. Cor. 4. v. 13.* ex *Psal. 116. v. 10.* Et *Gal. 5. v. 6.* vera ac viva fides describitur, quòd non otiosa, sed efficax sit & operetur per charitatem. Christum autem diligere & eundem abnegare consistere simul

non possunt. Adde quòd vera fides victrix est peccati, *Rom. 6. 7. 8. Galat. 5. Ephes. 5. 6. 1. Ioh. 5. vers. 4.* Qui verò Christum abnegat, à peccatis vincitur, neque manet liber, sed fit servus peccati, *2. Pet. 2. vers. 19.* Manifestum igitur est, quòd ille qui Christum abnegat, sicut Petrus, veram fidem & fiduciam in Christum non retineat, sed damnetur & pereat.

Quia pauci tantùm homines electi sunt, concludere quidam Calvinistæ volunt, quòd & vocatio, quæ fit per Evangelium, non omnes homines, sed electos tantùm complectatur, de eo me velim edoceas?

Christus ipse, Multi, inquit, sunt vocati, pauci verò electi. *Matth. 20. v. 16. c. 12. v. 14.* Et ablegantur Apostoli in totum terrarum orbem, ad annunciandum Evangelium omnibus hominibus. Erroneum igitur & falsum est Deum non velle seriò, ut omnes homines in ipsum credant, & salutem æternam consequantur.

Sed dicit Paulus, Rom. 8. v. 30. *Quos ordinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit & glorificavit: ut proinde soli electi à Deo seriò & efficaciter sint vocati?*

Discrimen hîc diligenter observandum est, quod

quod Paulus ipse monstrat, *v. 18.* ubi inquit, quosdam vocatos esse *secundùm propositum.* Dictum verò jam dum est, eò dirigi hoc Dei propositum, ut qui Evangelium audit, in Christum credit, & in fide usq; ad finem vitæ perseverat, salvus fiat. Est igitur primò *vocatio generalis* omnium hominum, quæ fit per Evangelium, ut est in parabola, *Matth. 22.* ubi multi homines ad nuptias vocantur. Deinde est *vocatio secundùm propositum*, cùm non tantùm vocantur homines, sed etiam vocationi illi obtemperant, & ad nuptias regis cœlestis comparent: ubi contrà multi venire renuunt, quibus rex irascitur & indignatur, quosque punit. Sic igitur prima vocatio dicitur tantùm respectu Dei, homines ad se vocantis. Secunda verò vocatio, vocatio nimirum secundùm propositum, complectitur simul hominum obedientiam, qui divinæ vocationi obediunt, eam promptè sequuntur, & Christo Domino suo firmiter adhærent. Et ita rectè dicitur, quod illi tantùm, qui vocati sunt secundùm propositum, sint electi, & quòd justificentur ac glorificentur.

Si verò Deus seriò & efficaciter omnes homines vocaret, etiam omnes ex efficaci eius operatione venirent. Ast non omnes veniunt, sed aliqui tantùm. Ergò etiam Deus seriò non vult, ut omnes veniant?

Habemus expressum Dei verbum de annunciando Evangelio omnibus hominibus per totum terrarum orbem. Deum igitur justissimum & sanctissimum in verbo suo revelato aliud nobis proposuisse, nimirum quòd amore suo nos complecti, nobis impensè favere, nosq; salvare velit: aliud verò in corde suo secum absolutè decrevisse, ut quòd salutē nostram non expetat, nolit nos vocationi obtemperare, & ad nuptias filii sui comparere, sed potius in æternum ab illis exclusos esse debere; blasphemia talis & tanta est, ob quam cordatus Christianus meritò exhorrescit. Cur n. Deus justissimus in illos animadvertit, qui ad nuptias nō veniunt, quàm ob illud unicum & unum, quia vocationem & ministros suos contemptim habuerunt, & venire recusaverunt? Et quia Scriptura testatur, multos Spiritui Sancto repugnare, oblatam gratiam respuere, & Dei consilium adversus semetipsos spernere, invictè concluditur causam horū omnium non esse Deum, sed homines, qui clementi Dei voluntati ac vocationi obedire nolunt, sicut Christus testatur, *Matth. 23. v. 37. Volui vos congregare: sed noluistis.*

Sed adhuc hodieq; Evangelium in omnibus locis non prædicatur, quomodo igitur dici potest, Deum omnes homines vocasse?

Propter ingratitudinem & contēptum hominum

num Evangelio multæ urbes, regiones & imperia ex justo Dei judicio vigore severarum factarum comminationum privatæ sunt. Cujus privationis causa non est penes Deum, sed penes homines, qui peccatis suis pœnas illas justissimas sibi attraxerunt: Sicut Paulus ad Judæos *Act. 13. v. 45.* Vobis, inquit, oportebat *primum loqui verbum Dei: Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternâ vitâ, ecce convertimur ad gentes. Et Apoc. 2. v. 5.* Si non *egeris pœnitentiam, veniam tibi citò, & movebo candelabrum suum de loco suo.* Interea semper Ecclesia similis manet urbi jacenti in monte, ad quam cuivis liber patet aditus, ut in ea verbum Dei audire ac discere, atque ita nemo ullius ignorantiæ prætextum habere possit. Usque adeò namque Deus in operibus suis se manifestavit, ut hominibus omnis *excusatio plane & plenè erepta sit, ut Paulus docet Roman. 1. vers. 20. 21. & Actor. 17. v. 26. 27.*

Exinde sequetur reprobationem hominum, sicut & damnationem, non Deo vel æterno ipsius decreto, sed hominibus ipsis adjudicandum esse?

Æternum Dei decretum quod attinet, dictum suprà est, Deum ab æterno tale propositum, voluntatem & Consilium habuisse, ut

qui in Christum credit, salvandus, qui non credit, condemnandus sit. Ex quo consequitur judicium & sententia Dei contra omnes incredulos, quòd in æternum damnandi sint, ideò quia non credunt in nomen unigeniti filii Dei, Johan. 3. vers. 18. Sunt proinde homines increduli ipsimet, sui mali fabri suæque damnationis causa: potestque illa sine horrenda blasphemia Deo nullatenus adsignari.

Putasne igitur homines inveniri posse, qui causam damnationis hominum in Deum rejiciunt? Id verò fateri nonnulli usq; & usq; negant?

Eo ipso peccata peccatis cumulant, blasphemias alias suis (gnaviter licèt impudentibus) negationibus ac tergiversationibus nonnihil fucaturi. Et tamen eo ipso testantur, blasphemiam illam tam enormiter grandem esse, ut adferere illā publicè non ausint, quod desperatæ opinionis indicium est certissimum. Etenim ex Zwinglii, Calvini, Bezæ, Martyris, Grynæi, Renneckeri, Piscatoris, Perkinsii & plurimorum aliorum Calvinianorum publicis scriptis ad oculum demonstrari potest, quòd Deum peccati causam cōstituant, quippe qui homines ad peccandum hortetur, instiget & impellat, imò ad id homines creârit, ut la-

ut labi ac peccare possent, & quod omnium maxim è horrendum est, quòd ab æterno ipsi constitutum fuerit aliquot millena millia, eũ solummodò in finem creare, ut Diaboli mancipiatitionesque infernales essent. Quod non immeritò à Calvino ipso decretum horribile nuncupatur. Et ferè est incredibile, quàm se Calviniani macerẽt in execrabili isto dogmate adornando, & ne durum nimis appareat, emolliendo. Unde sæpenumero opiniones δὶς ἀλλὰ πάσων distantes commenti sunt, quæ ipsis clarissimè ostensæ sunt, ad quas tamen in hodiernum usque diem nihil quicquam solidi respondere potuerunt. Et jure dubitare quis poterit, utrum horrendas istas blasphemias ex libris ipsorum colligere, collectas proponere, & oculis aliorum publicè exponere debeat. exposuit D. Joh. Muller. Hamburgi libello in 8 forma.

Recense summatim Calvinianorum scriptorum de tam multorum hominum reprobatione sententias?

Propriis ipsorum verbis fideliter proponã. Docent autem Deum occultâ sua voluntate ab æterno decrevisse quosdam perdere, & illos hoc consilio condidisse, ut laberentur, coagmẽtasse ad interitum, fecisse vasa iræ, & velle ipsorum improbitatem aliquo modo, & propter aliud, nẽpe ut per illius punitionẽ demonstret suam justitiam & odium peccati.

Et his

Et his non misisse filium: Christum pro ipsis non esse mortuum: neque dare ipsis salutem velle, aut hanc mentem, ut salutem petant, neque gratiam, ut credant. Et ut maximè Evangelium illis prædicetur, & in eo & per illud gratia Dei offeratur, Deum tamen hoc facere, non animo communicandi, sed potius, ut magis eos reddat inexcusabiles. Horum impuritate purè & sanctè uti Deum ad exequendum judicia sua: Eos, sive benè sive malè agant semper ad voluntatem Dei absconditam facere. Vocare ipsos, sed non velle ipsos venire, sed excæcare & indurare eos, ut non credant, ideò, quia sunt reprobati. Principem enim incredulitatis causam esse reprobationem. Hæc sunt ipsissima Johannis Piscatoris, novi illius novorum Bibliorum Calvinianorum sutoris, verba sine additione & mutilatione proposita, ex disputatione de prædestinatione excerpta.

Forsitan cæteri Calvinistæ cum his non consentiunt?

Nemo ex Calvinianis huic sententiæ hactenus publicè contradixit, aut erasse Piscatorem conquestus est: cùm illud ipsum Zvvinglius Calvinus, Beza, & alii in publicis suis scriptis doceant. Et concisè loquendo hæc sententia est. Quæris, cur homo iste dãnetur? Respon-

Respondet Calvinianus (& rectè quidē) quia non credit? Pergis; & quæris, cur non credat? Respondet Calvinista, quia Deus noluit ei dare gratiam, ut crederet? Progrederis: Cur Deus noluit ei dare gratiā? R. quia Deus ipsi nihil debeat, & Christus pro eo nō sit mortuus imò nec ipsi missus. Cur hoc, quia sit reprobatus. At cur reprobatus? quia Deus ipsū destinarit ad æternū exitiū? Cur Deus ipsum destinavit ad æternum exitium? Quia ipsum ab æterno oderit: At cur odit? quia hic placuerit, & quia hoc simplex & immutabile ipsius decretum & voluntas sit.

Quomodo hanc Calvinianorum sententiam solidè refutabo?

Universum Evangelium errori isti nefando diametraliter repugnat, cujus etiam è Calvini discipulis multos nunc pudet, ut eum ὁμοψήφῳ suo calculo publicè probare non audeant, imò multi negare conantur (argumentis clarissimis convicti) hanc suam esse sententiam. Ut igitur homo Christianus fundamentis firmis ac solidis ad horribilem istum Calvinianorum errorem refellendum instructus promptus ac paratus esse possit, considerabit. 1. Deum initiò genus humanū condidisse non ad mortem, sed ad vitam. 2. mortem venisse per peccatum. 3. Filium Dei venisse, ut peccata expiaret. & plenissimè pro toto hominum

gene-

genere satisfeciſſe. 4. & velle per Evangelium iſtud annunciari per univerſum mundũ. 5. ut, qui crederent in Chriſtum, ſalvarentur, qui non crederent, damnarentur. Ex quo manifeſtum eſt, cauſam reprobationis nequaquam in Deo, ſed unicè & ſolùm in hominibus quærendam eſſe.

Cùm hæc de re multa paſſim in Scripturis inveniantur diſtincta teſtimonia, an non in certas claſſes ea poſſunt diſtribui?

Poſſunt optimè; & laudanda diligentia eſt Chriſtiani hominis Sacra Biblia legentis, ſi ordinem hunc obſervet, & juxta illum teſtimonia diſtribuat, ſic ut ponantur 1. dicta quæ teſtantur Deum velle, ut omnes homines ſalventur. 2. non velle mortem peccatoris. 3. filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſatisfeciſſe pro peccatis totius generis humani. 4. Evangelium de gratia Dei & merito Chriſti omnibus hominibus annunciandum eſſe. 5. Solos credentes in Chriſtum ſalvari, incredulos autem damnari.

Profer quædam teſtimonia primæ claſſis?

Ioh. 3 v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Tit. 2. verſ. 11. Illuxit gratia DEI ſalutifera omnibus hominibus. *Romanor. 11. v. 32.*

Deus

Deus concluſit omnes ſub incredulitatem, ut omnium miſereretur.

1. Iohan. 4. v. 14. Pater miſit filium Salvatorem mundi.

1. Tim. 2. v. 4. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.

Matth. 23. verſ. 37. Ego, inquit Chriſtus ad Judæos, volui vos congregare, ſed noluiſtis.

Adjungi poſſunt alia ſimilia longè plurima.

Non igitur credunt Calviniani teſtimonia hæc eſſe vera?

Aliter intelligenda eſſe dicunt, quàm ſonant, & vocabulum Mundi notare electos in mundo. Ajunt n. Deum nolle, ut omnes homines in genere ſalvi fiant, ſed illi tãtùm, quos ab abſoluto ſuo decreto prædeſtinavit. Et ut maximè Chriſtus dicat, ſe Judæos voluiſſe cõgregare, Deum tamen iſtud non voluiſſe: Et ejus generis alia multa proferunt, quibus à clara litera diſcedendum eſſe perſuadere nobis conantur.

Quid verò illis ad objectionem ipſorum reſpondendum eſt?

Simplex Chriſtianus maneat in Dei verbo, neq; ullis hominũ commentis abduci ab illo

ſe p a-

se patiatur. Non enim ullum in Scripturis invenire licet testimonium, in quo vocabulum *Mundi* necessariò solos electos notet. Et comprehendit Christus. Joh. 3. v. 16. sub mundo & credentes & incredulos, quod ex textu ὀφθαλμοφανεῶς apparet, ut impossibile sit Mundum solos electos denotare. Et nimis absurdum est, Christi & Dei voluntates esse contrarias. Est enim Christus verus Deus, & quamvis etiam sit verus homo, humana tamen ejus voluntas voluntati divinæ non est contraria, sed conformis, id quod officium ejus & perfectissima obedientia requirit.

Recense mihi secundam classem testimoniorum scripturæ, quibus probatur Deum nolle mortem peccatoris?

Ezech. 18. v. 33, cap. 33. v. 11. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat.

2. Pet. 3. v. 9. Deus non vult, ut ullus pereat, sed omnes ad pœnitentiam revertantur.

Huc etiam referenda sunt dicta illa omnia, quæ restantur de summa Dei displicentia & odio inobedientiæ & ingratitudinis hominũ, eius verbum & Sacramenta contemnentium, & de pœnis contemptûs Evangelii. Ex eo n. iquet, seriò ipsum velle, ut Evangelium audiant,

diant, in Christum credant, & salutem æternam consequantur.

Habentne Calviniani, quod hic objiciant?

Dicunt Deum non loqui de peccatoribus in genere, sed de iis solis, quibus datur cõversionis gratia, hoc est, de solis electis: In cæteros enim certò ipsum animadvertutũ esse; id quod manifestum sit: Alii dicunt, testimonia illa non de abscondita, sed de revelatâ Dei voluntate esse intelligenda, secundùm quam etiam reprobis se benè velle simulet, sed tamen in absoluto suo decreto eos æternæ damnationi devoverit.

Quomodo objectionem hanc diluam?

1. Distinguendo inter voluntatem Dei antecedentem & consequentem, de quâ suprà dictum est. Verè enim Deus vult & serio (secundùm voluntatem antecedentem, omnes homines salvos fieri, neque delectatur ullius interitu. Secundùm voluntatem verò consequentem, quando homines verbum Dei contemnunt, neque Spiritu DEI se regi permittunt, sed ipsi resistunt; exerit sese justissimum Dei judicium adversus ipsos, ut pereant & damnentur. In Deo vero duas contrarias voluntates fingere, sic ut in verbo externè amicum se simulet, inimicum verò ad-

fectum internè gerat summam blasphemiam esse judicamus. Talis enim simulatio & hypocrisis etiam in hominibus culpabilis est & damnabilis.

Da mihi tertiam classem dictorum, qua testantur Christum pro totius mundi peccatis satisfeciſſe?

Classis illa admodum ampla est & copiosa, ad quam magnam Bibliorum partem evolvere & excutere opus esset. Quare in ea classes peculiares constituendæ sunt, ita ut primo loco colligantur dicta de voluntate & consilio Dei, Filium suũ toti mundo, hoc est, universo generi humano mittentis, ut per ipsum mundus salvetur. Deinde loco secundo sequẽtur dicta, quæ ipsum filium Dei loquentem de suo officio & merito proponunt: quibus dictis Evangelium D. Johannis scatet. Tertio loco erunt dicta, in quibus disertè & expresse dicitur Christum pro peccatis totius mundi mortuum esse, & esse mediatorem omnium hominum, esse salutem hominum. Quarto loco dicta, in quibus Scriptura humanum genus distribuit in duos ordines, Judæos & gentes; & testatur Christum non solùm Judæis, sed etiam gentibus missum esse. Quintò ponentur dicta, in quibus propriè & disertè dicitur CHRISTUM etiam mortuum esse pro

se pro impiis, & pro iis, qui pereunt, ut *Rom. 5.v.6.c.14.v.15.16 1. Cor. 8.v.11.2.Petr.2.v.1. Heb.6.v.6.cap.10.v.29.* Sextò erunt dicta, in quibus confertur Adamus & Christus, quid ille amiserit, hic acquisiverit. Septimò huc etiam pertinent testimonia, quæ testantur de Evangelio omnibus hominibus annunciãdo. Quorsum enim opus fuisset Christum omnibus hominibus annunciari, si non pro omnibus satis fecisset? Quâ de re mox dicetur.

Habentne Calviniani hic aliquid, quod contrà adferant?

Habent plurima. Hic enim inquit, dicta hæc ad solos electos esse restringenda: Ille scripturam loqui dicit pro more Christianæ caritatis. Iste testimonia illa loqui ait de voluntate DEI revelata, non de occulta & abscondita. Quartus vetsionem *D.* Lutheri fugillat. In summa: Spiritus Sanctus censuræ ipsorum pro lubitu & arbitrio eorum submittere se cogitur.

Quid verò ad hæc nos respondebimus?

Respondebimus simpliciter & breviter: quia Deus pater de filio suo testatur, quod ipsum (non hominum commenta) audire de-

beamus, firmiter nos in verbo ipsius hæremus, relinquentes Calvinistis sua glossemata & hermenias, quæ non ex verbo Christi profluunt, sed ab illo discedunt, illique adversantur.

Prome quartam classem de Evangelio de Christo omnibus hominibus annunciando?

I. Expressum extat Christi mandatum *Matth. 28. Marc. 16. Ite in universum orbem terrarum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Extat historia Apostolorum, quomodo huic Christi mandato obsecuti fuerint in Actis Apostolicis: Ita ut D. Paulus *Colos. 1. v. 6.* scribat suo tempore Evangelii sonum in omnem terram exivisse, quod ipsum ex *Psalm. 19. vers. 5.* demonstratur, *Rom. 10. v. 18.* Et huc pertinent dicta de vocatione gentium ad regnum Messiæ, & de tollendo Judæorum & gentium discrimine: Item parabola illa elegans de invitatione ad nuptias & ad cœnam magnam, & de vocatione in vineam &c.

Quid hic habent Calviniani, cui contradicant?

Dicunt non omnes homines vocari per Evangelium: quoniam in multis regnis & nationibus istud non prædicetur, ajentes DEUM quidem vocare multos, quos tamen

men venire nolit: multis prædicari Evangelium eum in finem, ut excæcentur & indurentur; & quæ sunt alia.

Quid ad hæc respondendum est?

Suprà dictum est, propter ingratitudinem & contemptum hominum candelabrum Evangelii sæpius auferri & de loco suo moveri. Cujus ablationis causa non est penes DEUM, sed penes homines. Neque DEUS agit hypocritam, ut illum verbis amicis ad se vocet, suamque ad Cœnam roget, nec tamen venire illum velit. Ob hoc ipsum namque vocati hospites puniuntur, quia venire, seque ad nuptias sistere nolunt. Et est Evangelium lux, quod prædicatur non ad excæcandum homines, sed ad illuminandum, non ad indurandum, sed ad salvandum. *Romanor. 1. vers. 16. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum* inquit D. Paulus *2. Corinth. 4. vers. 3. 4. in his qui pereunt, est opertum: in quibus DEUS hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.*

Recita classem quintam testimoniorum de illis solùm, qui in Christum credunt, salvandis, de incredulis verò damnandis?

Hæc perpetua & unanimis totius Evange-

lii vox est, ut, qui in Christum credunt, vitam æternam habeant. *Marc. 16. vers. 16. Iohan. 3. v. 16. cap. 5. vers. 24. c. 6. v. 40. 47. Actor. 4. v. 12. c. 10. v. 43. cap. 13. v. 38. 39 Rom. 3. 4. Gal. 2. 3. Eph. 2. Tit. 3. &c.* E contrario vero, qui non credunt, condemnentur, ideo & hanc ob causam, quia non credunt in Christum. *Marc. 16. v. 16. Ioh. 3. v. 18. 36. Hier. 32. v. 33. Ioh. 6. v. 53. c. 16. v. 9.*

Quid ad hæc Calviniani?

Quanquam verbi divini splendor oculos ipsorum fortissimè feriat, in contradicendi tamen studio temperare sibi non possunt. Dicunt, non solam in credulitatem esse damnationis causam, sed reliqua etiam peccata, sicut & Dei decretum.

Quid verò illis respondendum?

Distinctè respondendum est. Omnia & singula peccata damnant, ut causa meritoria. Quia vero Christus pro peccatis totius mundi satisfecit, illud unicum desideratur, quod in credulo meritum Christi, in Evangelio ipsis oblatum nolunt apprehendere. Atque ita incredulitas est causa prima & summa damnationis. Qui enim credit in Christum, huic omnia peccata remissa sunt, & hunc lex accusare & damnare non potest. Ubi vero fides non est ibi dominatur lex peccatum & damnatio.

natio. Quemadmodum igitur non justificamur nisi per fidem in Christum: ita incredulitas unica causa est, ob quam increduli manent sub ira Dei, & damnatione. Si enim in Christum crederent, fierent amici & filii Dei, liberi à peccatis & damnatione, & hæredes vitæ æternæ.

Contrahe, quæ huc usq; nonnihil copiosius dicta sunt?

Talem formabimus Syllogismum. Quis quis à Deo in mundum missus est, ut assumpta humana natura salvaret humanum genus & ipse ideo venit, ut restitueret & sanaret, quod perierat, nempe ipsum hominum genus: ac proinde mortuus est pro tota hominum multitudine in universo orbe, non tantùm pro Judæis, sed etiam gentibus, non pro credentibus, solùm, sed pro reliquis etiam omnibus & in specie pro impiis, qui ipsum negant, & qui pereunt: ut ita beneficium ipsius minimè sit arctius & contractius delicto Adami: Unde etjam acquisita ab ipso beneficia omnibus hominibus in Evangelio annunciata & oblata sunt, ut omnes, qui vera fide ipsum suscipiunt, salventur, reliqui autem damnentur, ideò quia nō crediderunt in ipsum: certū est, eum satisfeciſſe, & mortuū esse pro peccatis omniū omnino, sine ulla exceptione, hominū. Atqui æternus Dei filius à patre suo cœlesti in hunc

mundum missus est, ut assumpta natura humana humanum genus salvaret, *Iohan. 3. vers. 16. 17. 1. Iohan. 4. vers. 14. Gal. 4. v. 4. 2. Corin. 5. v. 19. Esa. 53. v. 6.* & ideò ipse venit, ut restitueret & sanaret, quod perierat, nempe totum humanum genus, *Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10. vers. 10. Iohan. 12 v. 47. Luc. 2. v. 10. 11. Tit. 2. vers. 11.* ac proinde mortuus est pro tota hominum multitudine in universo orbe, *Ioh. 1. v. 29. 2. Corin. 5. vers. 19. Rom. 5. v. 18. 19. 1. Cor. 15. v. 22. 1. Tim. 2. v. 6. 2. Cor. 5. v. 14. 15. Col. 1. v. 20.* non tantùm pro Judæis, sed etiam gentibus, 1. *Timoth. 2. vers. 6. Heb. 2. v. 9. Gal. 3. v. 28. Roman. 3. vers. 9* non pro credentibus solùm, sed etiam pro reliquis omnibus. *1. Timoth. 4. v. 10. 1. Ioh. 2. v. 2.* & in specie pro impiis, *Rom. 5. v. 6.* qui ipsum negant, *2. Petr. 2. v. 1.* & pro illis, qui pereunt, *Roman. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. Heb. 6. v. 4. 5. 6. cap. 10. vers. 29.* ut ita beneficium ipsius minimè sit arctius & contractius delicto Adami, *Rom. 5. v. 15. 1. Cor. 15. v. 21. 22.* Unde etiam beneficia ipsius omnibus hominibus in Evangelio annunciantur & offeruntur, *Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Romanor. 10. Coloss. 1.* ut omnes, qui vera fide ipsum suscipiunt, salventur, *Marc. 16. Iohan 3.* qui verò non suscipiunt, damnentur *ibidem*, ideò quia non crediderunt in ipsum, *Ioh. 3. v. 18.* Ergò certum est, Christum

Dei

Dei & Mariæ Filium satisfeciſſe & mortuum eſſe pro peccatis omnium omninò ſine ulla exceptione hominum.

Similiter & Calvinianorum hac in re ſententiam breviter mihi contrahas, velim?

Quinque propoſitionibus totam complectar.

I. Dicunt Calviniani, Deum non velle omnes homines ſalvari, ſed tantùm aliquos, ſimplici voluntate & abſoluto decreto ad vitam electos.

II. Non propter præviſa peccata & incredulitatem, ſed ex abſoluto beneplacito Deum plerosq; homines æternæ damnationi deſtinâſſe.

III. Chriſtum pro ſolis electis (non etiam pro cæteris hominibus) mortuum eſſe.

IV. Evangelium non omnibus in genere hominibus annunciari: & quibus annunciatur, eis non omnibus, ſed aliquibus tantùm, puta electis, Deum offerre gratiam animo cõmunicandi: cæteris verò per Evangelium excæcari & indurari.

V. Cauſam damnationis non ſolam eſſe incredulitatem, aut peccata alia, ſed inprimis æternum Dei odium, & horrendum decretum.

Quomodo verò ſententiam iſthanc ſtabiliunt?

Calvinus *l.3.Instit.cap.22.dist.1.* Quemadmodũ, inquit, in libero Dei arbitrio positum est, fingere aliquem hominem, non canem, leonem vel lupum: ita etiam liberum ipsi est, hominem vel ad vitam, vel ad exitium destinare. Alii alias afferunt similitudines. Quemadmodum liberum est homini ex stabulo hoc vel illud pecus, ex gallinario hanc vel illam gallinam ad mactationem segregare, cæteras verò servare: Ita & Deum liberrimâ suâ voluntate alios ad vitam, alios ad damnationem prædestinâsse & ordinâsse.

Quid verò tu ad hæc respondes?

Respondeo meras esse getras in cerebri humani liripippio excoctas & excogitatas. Deus enim omnes homines in Adamo ad suam similitudinem & imaginem, & sic etiam ad vitam & salutem æternam creavit, *Genes.1.2.* Ac proinde blasphemum est, Deum vel unicum hominem ex absoluto decreto condidisse ad Infernum & damnationem æternam. Et quoniam hic ordo Dei est, ut homo generet hominem, sicut quodlibet animal in specie sua sibi simile producit: grande piaculum Calvinus commisit, dum primum caput Geneseos non evolvit, in quo habetur: Crescite & multiplicamini, nimirum quodlibet juxta genus suum. Et perpetuum manet discrimen

inter

Inter omnia animalia bruta, quæ propter homines creata, & quorum dominus homo constitutus est: & inter hominem ipsum, qui ad imaginem Dei, non ad terrestrem modò, sed ad cœlestem etiam vitam initiò conditus. Non igitur liberum est diabolo aut alii cuivis, hunc vel illum ex hominibus pro libitu in infernum præcipitem agere. Nec quicquam aliud Dei Verbum nos docet, quàm quod Deus credentes salvare, incredulos vero damnare velit. In quo merito subsistimus, neque occulta Dei consilia, quæ occulta esse nobis voluit, curiosè scrutamur. Ad legem & ad testimonium, *Es. 8. v. 20.*

Sed vehementer hoc quidam urgent: Si Deus seriò vellet omnes salvari, omnes etiam salvarentur. Ecquis enim impediat?

Jam dum responsum est, certo & seriò Deum velle, ut omnes salventur, sed certo ordine & modo: *ita nimirum vult omnes homines salvos fieri, ut pœnitentiam omnes agant, & Evangelio credant.* Quia vero maxima pars hominum in impœnitentia & incredulitate sua perseverat, damnantur non Dei, sed suâ propria culpa.

* * *

Sed

Sed Paulus, Rom. 9. v. 18. *Deus, inquit, miseretur, cujus vult misereri. Ergò non omnium miseretur.* Item v. 13. *dicitur, Deus odit Esavum: Si igitur odit, certè non dilexit?*

De consequente voluntate rectè dicitur; secundùm quam miseretur non contumacium peccatorum, sed peccatorum contritorum & hominum pœnitentium, quos diligit & protegit, sicuti contra impios odit & punit. Quare nihil omninò facit ad palliandum errorem Calvinisticum. Nam profectò etiam Esavum Deus dilexit, quando in infantia juxta mandatum Christi circumcisus, & in fœdus Dei receptus est. Neque Calviniani unquam probare firmiter possunt, Esavum æternæ damnationi addictum esse, qui tandem cum Jacobo fratre concordiam coluit, ut ex historiis liquet, *Genes. 33. v. 10. 11. c. 35. v. ult.* Quod verò Paulus ex *Malach. 1. cap.* dicit: Deum odio habuisse Esau, secundum Scripturæ explicationem hunc sensum habet, quòd Deus Jacobum prætulerit Esavo, & Esavum Jacobo postposuerit. Cujus rei exempla parallela extant. *Psal. 78. v. 67. 68. Gen. 29. v. 31. Luc. 14. v. 26.* Confer totam historiam, *Gen. 25. Malach. 1.* & res erit facilis & expedita.

Nonnulli hoc utuntur Syllogismo, quem adamantinum & ἀδιάλυτον esse putant.

Pro

Pro quibus Christus non oravit, cùm passionem subiret, pro illis quoq; non est mortuus. At pro mundo, hoc est, pro reprobis, Christus non oravit, Ioh. 17. v. 9.

Ergò nec pro reprobis est mortuus.

Syllogismus nihil concludit: Falsa enim est propositio minor. Aliquoties namq; Christus oravit. Oravit pro toto genere humano. Oravit pro Ecclesia sua in genere: Oravit pro discipulis, etiam pro solo Petro, *Luc. 22. v. 32.* Oravit in cruce pro crucifixoribus suis, *Luc. 23. v. 34. Esa. 53. v. ult. Heb. 5. v. 7.* Quod verò attinet dictum, *Ioh. 17. v. 9.* Non oro pro mundo, mirabiles sunt Calviniani, qui per mundum modò intelligunt solos electos: modò solos reprobos. Propriè verò loquendo hic verus & genuinus verborum sensus est. *Orat ibi Christus ut Pontifex pro discipulis suis & fidelibus omnibus, quos cœlesti sui Patris gratiæ & favori commendat.* Et expresè ait: Ego non oro pro mundo, hoc est, ut D. Lutherus dextrè & fideliter exponit: *Non oro, ut mundi & infidelium consilia approbem.* Sicut Moses, *Num. 16. orat, ne Deus holocaustum Korah acceptet.* Aliàs pro mundo orādum est, ut convertatur, sicut Paulus, *1. Tim. 2.* fieri jubet obsecrationes & orationes pro omnibus hominibus, quia Deus vult omnes salvos fieri. Et Christus est mediator inter Deum & homines, & tradidit semetipsum

ipsum in redemptionem pro omnibus. Quibus fundamentis Apostolicis in solidum evertuntur omnia istius generis sophismata Calviniana, ut non sit opus diutius istis immorari.

Quis est usus huius loci de æterna Dei prædestinatione?

I. Discimus, nos ex mera Dei gratia & misericordia absque ullo nostro merito aut dignitate salvari. Electi enim sumus in Christo ab æterno, secundùm Dei propositum, *Ephes. 1. 2. Tim. 1. 2. Thess. 2.*

II. Sequitur hinc doctrinam de libero hominis arbitrio & viribus naturalibus, quibus se quis ad salutem præparare possit, Evangelio adversam esse: Omnis enim salus nostra oritur ex Dei amore, gratia & misericordia in Christo: usque adeo, ut cum D. Paulo dicendum nobis sit, *Rom. 11. vers. 6. Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Si autem ex operibus jam non est gratia, quandoquidem opus jam non est opus.*

III. Agnoscimus hîc paternâ Dei cœlestis providentiam, quam gerit pro nobis miseris creaturis, dum tantam salutis nostræ curam habuit, ut ab æterno de illa decretum sanciverit, & in Evangelio nobis istud revelaverit.

In

In quo. IV. Electionis nostræ certitudo fundata est, quia in Dei potestate est & manu, è qua rapere nos nihil potest, quod *Iohan. 10. & Romanor. 8. egregiè illustratur.* Et si salus nostra in nostra potestate esset, mox actum profecto de ipsa foret: Cùm vero Deus ipse in manum suam nos concluserit, nemo ex illa nos eripiet, *Romanor. 8. versic. 35.* Quis nos separabit à charitate Christi? *Rom. 11. v. 29.* Sine pœnitentia (ἀμεταμέλητα) sunt dona & vocatio Dei.

V. Efficacem nobis parit consolationem in lucta adversus carnis infirmitates, mundi angustias, & tribulationes, & Satanæ & complicum ejus persecutiones. Electi enim sumus in Christo. Quod fundamentum firmum manet & immobile: Et dux hic vitæ in nobis etiam vincet, suosque & nostros hostes poterter triumphabit.

VI. Quia Deus ab æterno apud se constituit, quo genere crucis & calamitatis ad thronum cœlestis gloriæ nos velit introducere, & imagini filii sui conformes reddere, igitur nulla erit crux vel adversitas, quæ vincere nos & subvertere possit: sed omnia in salutem nostram nobis cedent, & victoria major erit & glorioſior, & passiones hujus temporis condignæ non erunt ad gloriam, quæ in nobis revelabitur.

Denique multæ & præclaræ commonefactiones & exhortationes ex hoc articulo eliciuntur: Etenim electi nos sumus, ut piè & inculpatè vivamus, Verbum Dei diligamus, libenter audiamus, Sacramentis verâ reverentiâ veraq; fide utamur, & in omni vita nostra Dei verbo & voluntati obtemperemus, &, ut Petrus hortatur, 2. *Epist. 1. vers. 10. satagamus firmam facere vocationem & electionem nostram.* Nam qui Dei Verbum contemnunt, impiè & securè vivunt, neque Spiritu Dei regi se patiuntur, hi de electione sua gloriari nō possunt, cùm media ordinaria, notæq; electorum characteristicæ in illis non appareant. Quare in perpetuo timore Dei incedere, pièque vivere debemus, ut finem fidei, qui est animarum nostrarum salus, cōsequi possimus per Christum Jesum, cui laus, honos & gloria in infinitas seculorum myriadas, Amen.

Errata. *Pag. 2. l. 16. lege Massiah. p. 11. l. penul. dele? p. 40 l. 10. Dominare. p. 46 l. 16. huc. p. 55. l. 18. quæ. p. 56. l. ante p. Baptismum. p. 60. l. 22. Trinitatem. p. 67. l. 18. dele vocem Scripturæ eamque ad lineam sequentem refer. ut sequatur vocem fundamento. p. 90. l. 2. simus. p. 146. l. 21. & γνησιοι. p. 147. l. 9. l. æ. p. ead. l. 24. ait. p. 155. l. 24. condemnabit. p. 150. l. 1. amet. l. 17. æquum, &c. Cætera benevolus Lector corriget.*

FINIS.

Fr. Reppien,
Buchbinder
in
ROSTOCK
bey der Marien-Kirche.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777865661/phys_0229
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777865661/phys_0230
DFG

Pro quibus Christus n ... *assionem*
subiret, pro illis quoq; ... *At pro*
mundo, hoc est, pro ... *us non*
oravit, Io ...

Ergò nec pro rep ... *us.*

Syllogismus nihil c ... enim est
propositio minor. Ali ... Christus
oravit. Oravit pro tot ... no. Ora-
vit pro Ecclesia sua in ... pro disci-
pulis, etiam pro solo ... *v.32.* O-
ravit in cruce pro cru ... *Luc. 23.*
v.34. Esa.53.v.ult. He ... vero atti-
net dictum, *Ioh.17.v.* ... mundo,
mirabiles sunt Calvi ... mundum
modò intelligunt so ... odo solos
reprobos. Propriè ve ... c verus &
genuinus verborum ... *t ibi Chri-*
stus ut Pontifex pro d ... *idelibus o-*
mnibus, quos cœlestis ... *e & favori*
commendat. Et expr ... on oro pro
mundo, hoc est, ut D ... rè & fide-
liter exponit: *Non or* ... *idelium co-*
natus approbes. Sicu ... *.16.orat, ne*
Deus holocaustum ... Aliâs pro
mundo orãdum est ... sicut Pau-
lus, *1.Tim.2.* fieri ju ... nes & ora-
tiones pro omnibu ... quia Deus
vult omnes salvos fi ... est media-
tor inter Deum & h ... idit semet-
ipsum